



J. 1. 6. 8



593105 I

Polonicum!
v. s. 1–157.

NOVAE ERUDITORUM DELICIAE

SEU

VETERUM ΑΝΕΚΔΟΤΩΝ

OPUSCULORUM COLLECTANEA.

FRANCISCUS FONTANI
Bibliothecae Riccardianae Praefectus

Collegit, Illustravit, edidit.

TOM. II.



FLORENTIAE · MDCCLXXXVIII.

TYPIS PETRI ALLEGRINI

Cum Adprobatione.


593105
I

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO
DOMINO
SCIPIONI RICCIO
EPISCOPO PISTORIENSI AC PRATENSI
PATRONO SUO HUMANISSIMO

HOC QUALECUMQUE OBSEQUII
ET VENERATIONIS MONUMENTUM
FRANCISCUS FONTANI
DEDICO CONSECROQUE.

INgrati prorſus animi merito reus agerer, Praeſul Ampliſſime, & mihi tibique iniquus eſſem profecto ſi quae Tua ſunt a Te ipſe ſubtrahe-

rem, ac diutius cunctans silentio obruerem quae ultro ac lubens innumera in me contulisti beneficia. Conſciae mentis ſtimulus mihi jamdiu ſuppetebat Tuum eſſe ſi quid in ſtudiis profecerim, ſi quod, non irrito forte conatu, impoſterum aſſequar; Te enim duce pene infans, nec dum pede certo viam diſciplinarum ingreſſus, immo etiam per diverticula tunc oberrans, feliciter potui alieno periculo ſapere, optimiſque tuis monitis tentatus valui Tecum inviſere amoena ea vireta, a quibus pulcherrimos quoſque flores Tibi jam ante excerpſeras, & cum Muſis tum Latinis tum

Grae-

Graecis verſari. Tuum igitur eſt ſi adhibito fraeno meo nimium laſcivienti ingenio, renuentique litare ſeverae Sophiae, & Matheſeos & univerſae Philoſophiae penetralia adivi; ſi utrumque ſacrum Codicem Hebraice partim, partim Graece eo libentius ſemel atque iterum verſavi, primigenios textus cum latinis conferens, quo facilius mihi daretur aditus ad eam ſcientiam quae meae vitae jam initae rationi conſona esset & debita. Te mihi facem praeferente quid ſit juris Eccleſiae, quid ſummis Poteſtatibus ex ipſis fontibus hauſi, ac Tibi uni utique tribuam oportet quod eos

in

in Theologia ſcopulos praecavi, in quos incidere neceſſe eſt quotquot non bene fidis praeconceptis ſcholarum opinionibus magis ſtudent, quam veritati.

Sinas itaque me tanti meriti non immemorem Tibi publice quam poſſum gratiam referre, tuoque Nomini inſcribere alterum mearum Deliciarum volumen; munus quidem exiguum, ingenui tamen animi, nec plus valentis monumentum. Praeterea accedit quod in eo habentur Anecdota quaedam ſatis ampla, quae Concilii Baſileenſis hiſtoriam ſpectant, Tuque noſti quanti interſit ea omnia habere perſpe-

ſpecta quae Synodum illam a minus criticis, ne dicam a malitioſis verſutiſque hominibus tam male vexatam reſpiciunt. Ea ipſa non minimo quidem labore ex optimis probatiſſimiſque illius aetatis Codicibus per me eruta, veluti tabulas e naufragio ſervatas Tibi interim credo, quamplurima alia eiuſdem momenti impoſterum, ſi Deus faxit, in publicam lucem prolaturus, ne diutius tineas paſcant inertes, & pereant. Forte invidiae nota urar quod adiutus huiuſmodi reliquiis illius Concilii, praefationis loco, brevem hiſtoriam iterum attexam, idque ea mente ut magis veritas in-

notescat, quae a nonnullis partium studio abreptis tenebris undique obruitur; verum nil tanti est, isque ego sum qui non suffundar rubore cum uni adhaesero veritati. Erit & qui in iudicium me non semel advocabit, gratisque meas ipsas penitiores cogitationes mentis rimabitur cum viderit me praecipua quadam lucubratione de Schismate disserere. Quaeritet is tamen, supputet, cervos per inane capet, suo ipse more somniet pro lubito, indulgeo: Tu tamen noveris me id ex condicto fecisse, ut eos quodammodo arguerem, qui inique nimium, ut suae ipsorum inscitiae opitulentur, schis-

maticos quosque appellant qui cnm iis non desipiunt, nec verba venditant, sed rationum momentis innixi uni vero adhaerere totis viribus contendunt. Habes igitur huiusce nostri operis summam quod Tuo patrocinio foveas obtestor: quod si ei calculum addideris, si haec quaecumque ea demum sint, studio meisque vigiliis parta lubenti animo acceperis, unus mihi instar omnium auctor eris, ut ceteris quae per otium parantur, alacrius manus admoveam.

Ingenuus Animi Tui pudor cui cordi est laudes etsi meritas reformidare me de Te loqui vetat omnino: Quapropter,

x

pter, macte virtute Praesul, sic Deus Opt. Max. omnia Tua acta publice & privatim fortunet; sic gloriam Tuuam in dies magis & magis etiam ad invidiam augeat; sic Te singulari sua benevolentia complectatur, ut credita Tibi Ecclesia, facta in Christo nova conspersio, per Te late sui odorem diffundat.

Vale, Praesul Amplissime, diuturnaque Tua incolumitate nostras spes erige, Teque serves bonarum Litterarum incremento, tui Gregis tutelae, Universae Ecclesiae decori, meque in Tui clientela confirmes.

Dabam Florentiae ipsis Kalendis Maii An. 1788.

CAN-

CANDIDO LECTORI

FRANCISCUS FONTANI εὖ πράττειν

QUod ſerius quam erat in votis meam Tecum, Erudite Lector, liberare fidem potuerim, & nunc tantum in lucem prodire iubeam alterum illorum voluminum, quae comprehendendis ἀνεκδότοις praeſertim Sacris in bibliothecis adhuc deliteſcentibus lubens iam devovi, temporis anguſtias incuſes, obteſtor; ſubciſivae etenim ipſae horae mihi ereptae ſunt a curanda ditiſſima acceſſione eius Bibliothecae cui praeſum, quaeque duplo iam maior effecta per Ampliſſimum virum Gabrielem Riccardium, operam meam popoſcit ut apto rectoque ordine conſtaret. Praeterea non potui quin ſtatim manus admoverem catalogis iterum contexendis, Manuſcriptorum praecipue, ne mihi haereret aqua in quavis re conquirenda, atque uti hoſpes haberer

berer iis qui ex me cuiusque Codicis auctores, opera, pretium sciscitarentur. Huiusce mei improbi laboris, cui nulla impar esse potest sedulitas, brevi, Deo opitulante, specimen dabo, prolaturus in lucem Graecorum, atque Orientalium aliorum Codicum Catalogum, ea mente ut Litterariae Reipublicae prosim pro viribus, atque imposterum, si mea haec opera sapientum suffragiis probabitur, curaturus eadem penitus ratione codices tum Latinos tum Etruscos, ex quorum notitia non mediocris, spero, litteris splendor lucebit.

Meae tarditatis itaque caussa cum jam tibi probe perspecta sit, patiaris ut nonnulla statim delibem de iis quibus volumen istud coalescit, mentemque meam aperiam in primis cuius ductu haec ipsa prae ceteris selegerim, ad alia dein non mediocris momenti progressurus, ne te videar inanibus verbis detinere.

Clarissimo Hermanno Vonderhardtio Coenobii Mariaebergensis Praeposito, nec non Academiae Iuliae Professori amplissimo cui debemus vindicata ab interitu innumera Concilii Constantiensis monumenta, jam erat in votis, post exantlatum

latum illum Herculeum laborem, eamdem prorſus operam navare in iis quae Synodum Baſileenſem ſpectant, ſperans ea methodo illam lucem dare poſſe Eccleſiaſticae hiſtoriae, cuius fulgore veritas clareſceret magis, tenebraſque undique, ſtudio partium atque amore habendi, offuſas reſolveret. Primum is quidem opus lubente Minerva abſolvit, dum tamen alteri manus admovebat a ſtabili fatorum numine ereptus, ſui deſiderium reliquit omnibus bonis qui adhuc dolent nullum eam ſpartam ſuſcepiſſe, ex qua tantum decoris & luminis veritati diffluerent. Quis tamen id ſibi uni tribuet, luſtrare ſcilicet bibliothecas omnes Europae, ipſarum forulos quaeritare, angulos inviſere, ſemeſas chartas acri oculo veſtigare nulla habita temporis, impenſarum, laboris ratione? Hiſce verum incommodis facile occurri poſſet ab eruditis cuiuſvis nationis hominibus ſi ipſorum quiſque pro ſua virili parte in opus tanti momenti intenderet, & publici iuris faceret pretioſiſſima ea monumenta quae malo litterarum fato pulvere etiam nunc ſcatent & deliteſcunt. Utinam in hanc ſententiam

tiam pedibus irent quotquot id homines praestare valent, & Symbolam ultro conferrent operi huic maximae molis conficiundo. Non irrita tunc mea vota deflerem deperiisse, immo laetus messem undequaque crescentem inspicerem, cui colligendae is ego & opera & consilio auctor fuissem. Quidquid tamen de reliquis fiet in jus utique, spero, non advocabor, quod meas vigilias in his impenderim evulgandis, quae veritates maximi momenti & illustrant & firmant. Quamplurima alia sunt in Florentinis bibliothecis eiusdem generis & ponderis, quae Deo praestante in hisce meis Deliciarum voluminibus prodibunt in lucem. Interim accipe vero syllabum eorum quae per me nunc prodeunt, ut certior de Codicibus fias a quibus ipsa monumenta valui expiscare.

Primum itaque pag. 1. *occurret tibi* Tractatus Universitatis Cracoviensis, *qui totus in eo est ut universalium Conciliorum auctoritatem vindicet invictissime, ac proinde etiam Basileensis Concilii, cuius decretum de Electione* Felicis Papae V. *sartum tectum servandum validissimis rationum momentis confirmat. Causam cui tota haec innititur quaestio dilucidius comperies ex posterioribus, at-*

que

que ex ipso satis amplo Tractatu, *quem ex Codice XII. Plut. XVI. scripto seculo XV. Bibliothecae Mediceo-Laurentianae deprompsi*.

Secundo habes pag. 158. duas Epistolas *Felicis eiusdem Papae V.*, *quarum altera querimoniis plena Carolum Francorum Regem obtestatur ut sui ipsius electioni per Basileensem Synodum factae pro viribus faveat*, *Conciliique illius partes tueatur*; *altera vero Friderico Duci Austriae*, *&* *Romanorum Imperatori electo gratulatur*, *rogatque ut in tanta rerum vicissitudine Ecclesiae strenuum defensorem se praestet*. *Utramque ex Codice Riccardiano Pluteo S. II. Num. VI. scripto Seculo XV. descripsi*.

Tertio pag. 171. *occurret* Consilium Studii Viennensis *Anno* 1442. *Archiepiscopo Salzeburgensi oblatum*, *quo omni ex parte Oecumenicum esse Basileense Concilium*, *adeoque ei rite sancteque haerendum decernitur*.

Quarto pag. 178. *septem enumerantur ac refelluntur* errores ex litteris Eugenii IV. *deprompti quas Universitati Parisiensi dedit*, *ut contra Synodum Basile-*

ensem

ensem suam ipsius auctoritatem tutaretur.

Quinto pag. 189. *habes* Compendium *cuiusdam Tractatus quo Basileense Concilium defenditur in eo, quod a Pontificali Throno deiecto Eugenio IV., Felicem V. uti verum Romanum Antistitem habendum decrevit.*

Sexto pag. 229. *proferuntur* Iustificationes *Concilii Basileensis in Eugenium* IV. *quibus ipsum omnes Ecclesiae Canones, ac Conciliorum placita flocci fecisse ostenditur.*

Septimo pag. 219. *occurrunt summa Capita eorum Consiliorum quae Universitates Viennensis, Erfordiensis, Coloniensis, Cracoviensis, Lipsiensis tutandi Concili, nec non eius statuta servandi causa dedere.*

Octavo pag. 231. *Agmen claudit* Tractatus *uberrimus anepigraphi auctoris qui in id unum intendit ut luce clarius patefiat Synodum Basileensem numquam vel translatam rite, vel canonice dissolutam fuisse. Haec omnia ex supra memorato Codice Mediceo - Laurentiano exscripsi, qui concordat cum Codicibus MSS. S. Victoris Parisiensis, & Collegii Navarrici, ex quibus nonnulla delibavit Nat. Alexander Dissertat. VIII. in Secul. XV. &*

XVI.

XVI. Tom. VIII., & in quo permulta alia ſunt non minoris momenti, aeque ac in Codicibus XI. & XIII. eiuſdem Plutei, ex quibus optima quaeque anecdota ſeligere conabor.

Unum adhuc ſupereſt ut te ſcilicet moneam, Amice Lector, me in commentariis hiſce edendis abſtinuiſſe omnino a ſcholiis, criticiſque animadverſionibus meis illis nectendis, uti promiſeram. Scias interim me id ex condicto feciſſe, ſperabam enim rei magis me consulturum si nonnulla notaſſem in anteceſſum, & rectum iter ad expeditiorem lectionem sic ſtraviſſem, quam si alio tuam mentem avocaſſem, praeſertim cum ea sit rerum natura, ut facile eae percipi poſſint, Hiſtoria Concilii Basileensis bene perſpecta, & Schiſmatis idea probe explorata. Utrique rei itaque ſedulo occurri pro viribus, tum hiſtoricam narrationem, qua potui brevitate, denuo inſtaurans, tum de Schiſmate singularem diſſertationem conſcribens. Iſtis igitur utere pro lubito, meque ames bene Rei Litterariae, bene tibi cupientem ex animo. Vale.

DE CONCILIO BASILEENSI

HISTORICA COMMENTATIO.

QUae quantaque fuerint ineunte seculo decimo quinto cuiusvis generis dissidia; quibus dolis religiosae veritatis osores omnia susdeque vertere conati sint; quo partium studio tres de Pontificia dignitate uno eodemque tempore contendentes inter se saevierint malo Ecclesiae fato, omnes noverunt quotquot memoria vetera repetentes videre nihil esse tam sanctum, tamque augustum, cui humana malitia impotenter non adversetur, Corrupti praeterea eorum mores, quibus, ut pote in sortem Domini vocatis, nihil magis cordi esse debebat, quam Ecclesiae decori, Fidei luminibus, integritati & paci studere, malos quosque suo ipsorum

exemplo perdebant, dum rari communis ſceleris puri, invidiae perditorum obnoxii, vix ac ne vix quidem in flebiles valebant voces erumpere. Ipſis malis mederi periculoſae plenum opus aleae videbatur, ea enim cum tunc eſſet natura morbi ut acrioribus remediis indigeret, non ſemel exploratum eſt, remedia ipſa magnarum cauſam eſſe aegritudinum. Vis interim morbi in dies magis aggraveſcebat, cum Sigiſmundo Romanorum Imperatori arriſit Conſtantiae cogere Sacrum & generale Concilium, quo Eccleſiae unitas redintegraretur, conſtitutoque Capite, quod tamen certis quibuſdam legibus vinciretur, quaevis Schiſmatis tolleretur occaſio. Primum concepta ſpes nec defluxit poſtea; immo *Petro de Luna*, *atque Ioanne XXIII.* exauctoratis, cum & *Gregorius* XII. ſponte dignitate Pontificia ceſſiſſet, facile Chriſtianae Reipublicae ſuccurri potuit, id quod ſane factum eſt, Martinus enim V., ex Decreto Seſſionis XLI. Conſtantienſis Concilii concordibus ſuffragiis triginta Cardinalium renuntiatus Pontifex, &
in-

infandum ſuſtulit Schiſma, & rata habenda omnia & ſingula quae in eadem Synodo decreta fuerant cum pronuntiaſſet, viſum eſt ipſum omnimode ſacro coetui obſecundare, atque optatae *Ecclesiae reformationi, tum in capite, tum in membris* per Concilium ſuſcipiendae ſtudere; quarta enim & quadrageſima ſeſſione tulit decretum, quo Ticini generale Concilium cogendum, quinquennio elapſo a Conſtantienſi Synodo, indixit.

Irrita tamen omnium manſiſſe vota & hic, & *Senis*, quo a Patribus commeatum eſt, peſtifera lue *Ticini* intercedente, dolendum; quivis enim reformationis opus laudabat, nullus illi validas manus admovebat, verebaturque Martinus Concili vires, adeoque cunctans diſſimulanter in id intendebat, ex quo nihil ſibi, nihil Romanae Curiae profuturum ſperabat. Sacramentum vero, quo ſe obſtrinxerat in Conſtantienſi Concilio, urgebat, inſtabant interim Catholici Principes ut Eccleſiae paci tandem aliquando conſuleretur: praeſtabat itaque nectere moras, phantaſmata uti corpora habere, cau-

ſas non inficetas, immo ſpecie tenus magni utique momenti quaeritare, & conſilium revera de inſtauranda cum Graecis iamdiu exoptata communione & unitate; Alphonſi Aragonum Regis nimis jactatae turbae; exigui numero Patres qui Senas advenerant in cauſa fuere quod Pontifex valuit ſua ipſius ſtudia praetexere, & Senenſi Synodo abrupta die 19. Februarii Anni 1424., Baſileenſem Anno 1431. cogendam indicere. In tempus curarum ſummam differre nonnumquam humanae prudentiae eſt; tempori tamen aſſentiri, nec ipſum protrhaere bono Reipublicae, eius ſane eſt qui periculis debet occurrere, quae iniquiora utique fiunt quo minus cito caventur. Aegre quidem hanc immaturam Concilii ſolutionem tulere qui omnes turbarum cauſas ex Pontificum Romanorum cunctatione, ne dicam privatis ſtudiis, repetebant, arguebantque Martini nimiam ſedulitatem in captandis praetextubus ut res infecta maneret, dum ipſe manus victas dare videbatur ipſi rei conficiundae. Ne itaque ille nigra hac urere-

tur

tur nota, quaſi a Reformatione abhorreret, ſibi eam Spartam ſuſcipiendam curavit, datiſque ea de re epiſtolis ad Archiepiſcopum Toletanum ipſum certiorem fecit *in animo ſibi eſſe hanc reformationis materiam non relinquere, ſed ad proſecutionem intendere in curia*, Antonio Epiſcopo Portuenſi, Petro tituli S. Stephani in Coelio monte Presbitero, & Alphonſo S. Euſtachii Diacono Cardinalibus ad id opus conſtitutis, adeo ut quivis poſſet *pro ipſa reformatione ſalutaria praefatis Cardinalibus in ſcriptis exhibere*, uti habemus in eius Encyclica data IV. Idus Martii An. 1428. Orbis interim ſpe lactabatur inani, emunctaeque naris homines, quique ex ungue leonem probe noſcunt ſecum ipſi reputabant difficile factu eſſe cultores Romanae curiae ſuis ipſorum utilitatibus non ſolum nolle conſulere, verum etiam, ultro oblatis velle renuntiare, Apoſtolicis moribus jam omnino Romae obliteratis. Nihil revera tam grande in ore hominum tunc temporis reſonabat quam reformationis nomen, a quo tamen opera longiſſime abhorrebant; dumque inanes

voces

voces Romae & in Italia jactabantur, impotens Martini dominatus Constantinopoli obgerebatur, utpote qui a Legato suo Pontificio dicebatur *habere caeleste arbitrium*, *esse Dominum in terris*, *Regum Patrem*, *Dominum universi*, *orbis lumen*, atque hisce omnia densissimis utique tenebris offundebantur. Suam ipsius mentem satis aperuisse Pontificem duas simul personas uno eodemque tempore indutum, omnes profiteri cogebantur: & quis bardus adeo qui huiusmodi apertam simulationem non nosset? Arrectis tamen cordibus tempus advenire omnes exoptabant quo Concilium Basileae habendum erat, cui & Christianos Principes totis viribus studere compertum erat, Sigismundum praecipue, qui tantas turbas numquam sensisset excitari posse, quantae dein excitatae fuere.

Exoptata iam dies aderat, & Martino V. Apoplexia immature correpto, eique suffecto Eugenio IV., Patres, Iuliano Cardinali S. Angeli Praeside, exordiendae Synodo intenti, primum quarto nonas Martii rite & Canonice inchoatum esse concilium, ut pote sancte

ſte coactum Baſileae ex Capite *Frequens* Conſtantienſis Synodi, ex decreto Senenſis Concilii, ex conſtitutionibus Martini V. nec non Eugenii IV. ſanxerunt: ſecundo, die 15. Februarii nullum, quavis praeditum auctoritate, poſſe, ipſo renuente, Concilium ſolvere, eiuſque decretis quemvis, ipſumque Romanum Pontificem obedire debere, iiſque ſubdi quae Eccleſiae bonum ſpectant, quae mores, cauſaſque Fidei, ſchiſmatis, & cenſuram Morum Eccleſiaſticorum *tum in Capite, tum in membris*, communibus votis decrevere. His ita conſtitutis nullus erat ambigendi locus, quin pace firmata, doliſque repulſis tandem aliquando antiqua ſpecie fulgeret Eccleſia, atque moribus redintegratis omnes non quae ſunt eorum ſed quae Ieſu Chriſti quaeritarent. Vix tamen in Concilio rite ſancita reſcivit Eugenius, quod exarſit in iras, atque Canones Conciliorum reformidans, noſcenſque quam irrita ea fundamenta ſint quibus Romana curia innititur, veritus maiora, frigidiuſculas cauſas effingens, Synodum Baſileenſem ſol-

ſolvendam illico edixit, Bononiaeque iterum aliam cogendam, elapſo integro anno cum dimidio, ut Graecorum expoſtulationibus ſatisfieret, decennioque intercedente, Avenione aliam habendam ex decreto Conſtantienſis Concilii, ut debitae Reformationi morum manus admoverentur. Omnium animi tunc horrore, veluti repentino ictu, perculſi non ſine metu ſubſtitere dolentes, paucorum iniquis conatibus, univerſae Eccleſiae bono invideri, Concilique Patres, & Sigiſmundus Auguſtus non potuere quin Pontificis audaciores auſus retunderent, Conciliique partes tuerentur, inſtantes quod quae rite inchoata erant, rite etiam per Concilium abſolverentur. Tertia itaque ſeſſione, habita die xxix. Aprilis denuo confirmata fuere ſancita jam in Conſtantienſi Synodo de auctoritate *Cuiuscumque generalis Concilii* in ipſum Romanum Epiſcopum, quorum vi Synodus ipſa Eugenium iv. monet & obteſtatur ut *praetenſam Concilii diſſolutionem, sicut de facto proceſſit, de facto revocet, & ipſam revocationem, quemad-*

mo-

modum & dissolutionem fecit, per diversas mundi partes transmittat & publicet; utque intra tres menses vel accedat ipse ad Concilium, vel legatos mittat *plenaria potestate: alioquin, prout iustum fuerit, & Spiritus Sanctus dictaverit, necessitatibus Ecclesiae providere curabit, & procedet secundum quod iuris fuerit divini pariter & humani*. Doluit Pontifex eius terriculamenta fuisse inania prorsus & nulla, anxiusque nectendi moras, miscendique turbas, dum quarta, quinctaque sessio Basileae habebantur, communibusque suffragiis ratum fuerat nullius roboris habendas *censuras* ea occasione *per quemcumque, quavis, etiam Romani Pontificis, auctoritate, fulminatas*, morteque intercedente Eugenii, perseverante Concilio, in eo fieret Electio Romani Antistitis, nullumque ex iis qui aderant invitum trhai posse vel evocari ad Romanam curiam, seu coram quovis iudice Ordinario ad caussam dicendam, misit legatos ad Synodum Andream Episcopum Colossensem, Ioannem Tarentinum, Bertrandum Magalonensem, & Antonium de

S. Vito

S. Viro Sacri Palatii causarum auditorem, eorum Eloquentiae confisus, iisque mandans ut supremam, absolutissimamque sui potestatem etiam in generale Concilium defendant pro viribus. Mandatis quidem non defuere Nuncii, quibus copia fandi pro lubito data est, luculentissimisque ii orationibus conati sunt, quae nec ipsi forte credebant, obtrudere: conticuere tamen, ac rationum momentis adacti, universalis Synodi auctoritatem revereri & ipsi debuere; quocirca in sessione sexta Concilii Promotores contumaciam Eugenii IV. accusarunt quod nec dissolutionem Synodi revocasset, nec Concilio ipse adfuisset cum Cardinalibus, de quo & conquestum est in sessione septima, in qua ut expostulationibus Legatorum satisfieret de Cardinalibus tantum poena sumpta est, quorum beneficia permissa sunt Ordinariorum collationi, nulla habita ratione reservationum sedis Apostolicae, atque in octava iterum Eugenio dictus est dies sexagesimus a die 18. Decembris anni 1432. intra quod intervallum nisi at-

tentatam Concilii dissolutionem, & alterius convocationem irritas decerneret, absque alia monitione ex severitate iuris in illum ageretur. Et quoniam adhuc vigebat rumor Bononiae cogi Concilium, a patribus provisum est decernentibus nullam rite haberi posse Synodum, alia manente, quae universam Ecclesiam repraesentat. Sigismundus interea, cui maxime cordi erat paci favere, sentiebatque nihil magis ei conferre posse quam Basileense Concilium, audito quod Pontifex in eum vel tulerat, vel ferret sententias *privationem Regnorum, Provinciarum, dominiorum, bonorum, & quarumlibet dignitatum forsitan continentes*, veritus religionem vulgi, qui pietatis specie, utpote ignarus, infandum quodque facinus patrare non renuit, Basileam accessit, Concilium adiit, atque in eum Sessione IX. exceptus est, in qua eius tutelae, aeque ac Willelmi Bavariae Ducis providens, universis Christifidelibus sub poena excomunicationis, & *privationis dignitatis cuiuslibet Ecclesiasticae vel mundanae*, interdixit ne Eu-

genio

genio Papae, aut alteri eius nomine in huiusmodi sententiarum executioni quis pareret. Immo ut occurrerent Patres rebus quotidie in deterius ruentibus, atque Eugenium quodammodo ad officium redire cogerent, sessione X. Uticensi Novariensique Episcopis mandarunt ut pro valvis solemniori ritu Pontificem proclamarent, utpote qui diem sibi dictum non curasset, iudicesque delegerunt ut expenderent, atque ad trutinam revocarent quae Pontificis causam cum Synodo spectabant. Sub haec Eugenius tum Sigismundi adhortationibus impulsus, tum ipsa rei aequitate forte victus xvi. Kalend. Martii Concilii Basileensis dissolutionem rescidit, secum ipse reputans hac re lenitos animos Patrum, facile remissuros esse vires quas exerere, prout juris erat, promiserant. Nondum tamen decretum hoc, cuius initium *Ad Sanctam Petri Sedem*, Synodo innotuerat, quin immo per legatos Ioannem Mella Protonotarium, & Episcopum Cerviensem, duosque Abates ea certior facta fuerat, Eugenium persistere in sua sententia,

ac tanrum rogare patres ut aequo animo ferrent translationem jam indictam Bononiam , profitentem ſe etiam in hoc *remittere de jure ſuo*, cum de plenitudine poteſtatis potuerit eam *quovis modo alio transferre aut pro lubito diſſolvere*. Quapropter undecima ſeſſione habita die xxvii. Aprilis, in eo tota verſata eſt Synodus ut expenderet decretum *Frequens* Conſtantienſis Concilii, ex quo ſancivit Baſileenſem Synodum legitime in Spiritu Sancto coactam *etiam per Papam* prorogari non poſſe, aut congregatam diſſolvi, ſeu transferri *sine ipsius Concilii expreſſo conſenſu*, obteſtans patres ne *ante completam Reformatiouem in capite & in membris* diſſolutioni conſentiant aut loci mutationem fieri permittant ex cauſis iuſtis & manifeſtis ; ſatis enim Eugenius ſuam aperuerat mentem in infirmando Conſtantienſi decreto, id quod ſubinde luculentiſſimo teſtimonio confirmatum eſt- Sigiſmundus Auguſtus receperat ab Eugenio litteras datas Viterbii die nona Maii querimoniae plenas contra Concilium, quaſi ſanxiſſet quae non decebat, tan-

tis-

tisque refertas verborum ambagibus circa legatos, ut facilius ii missi intelligerentur ad novam instaurandam Synodum, quam ad Basileensem confirmandam, uti fuerat expetitum. Accessit praeterea quod in iis omnis Concilii auctoritas conterebatur, aiebat enim Pontifex se eam contulisse potestatem legatis ut omnia negotia expedirent *cum Synodi Consilio*, quibus verbis Episcopos Consiliaros dumtaxat, non judices, in concilio agnoscerere videbatur. Huiusmodi jactantiam aequo animo non tulere Patres, & conscripta Synodica novos ausus retundere aggressi sunt, ac rogatu tantum Sigismundi Caesaris in sessione duodecima inducias adhuc dierum sexaginta Eugenio concessere, infra quos nisi ex animo is *pure simpliciter, & cum effectu* dissolutionem revocet, Synodoque adhereat, Sancta Synodus *in virtute Omnipotentis Dei, a quo super omnes Christi fideles immediate potestatem vindicat, praedictum Dominum Eugenium manifeste contumacem, ab omni administratione Papatus in spiritualibus & temporalibus ipso facto suspendit, & suspensum declarat.*

Dum

Dum haec interim Basileae agebantur, dieque undecima Septembris in Sessione XIII. cum Concilii promotores Eugenium tertio postulassent contumaciae, ac nisi intercessissent Ducis Bavariae preces, cuius rogatu triginta dierum adhuc compendinatus indultus est, forte in ipsum tulissent depositionis sententiam, Pontifex urgente Augusto de sententia coepit excedere, fluctuans adhuc tamen, utpote suae ipsius dignitati, & tempori consulendi studiosus. Anxium esse Eugenium, & aliquanto remissius sentire de se & de concilio noverat Sigismundus, qui cunctando rem restituere satagens, Imperii insignibus ornatus Sessioni XIV., habitae septimo Idus Novembris, interfuit, instantique rogatu petiit ut tres adhuc induciarum menses Eugenio concederentur, quibus iam absolutis, Synodus iuxta sacrorum Canonum sanctiones, prout de iure, decerneret. Patres morem ei gessere, atque interea cum & sexto Kalendas Decembris sessionem XV. habuissent, statuere ut singulis annis semel saltem Dioecesana Synodus ab Epi-

 scopo

ſcopo cogatur, provincialia vero Concilia infra biennium ab abſolutione generalis Concilii, ac deinceps quolibet ſaltem triennio habeantur. His ita geſtis tempus jam properabat quo, compoſitis turbis ac ſimultatibus Pontificem inter & Concilium, nova rerum ſeries exordienda erat, paci dandus locus, antiquus ſplendor Eccleſiae tandem aliquando redeundus promittebatur, auditoque quod Eugenius, miſſis ea de re litteris ad Concilium, veluti teſſeris initae ſecum concordiae, Synodo penitus adhaeſerat, Orbis non potuit quin laetaretur, ſibique ſpem uberioris fructus promitteret. Nonis itaque Februarii Anni 1434. in Seſſione XVI. Archiepiſcopus Tarentinus, & Cervienſis Epiſcopus exoptatas Eugenii litteras Synodo obtulerunt; quibus quidem expreſſe profitetur Pontifex *Sacrum Generale Baſileenſe Concilium per Generalium Conſtantienſis & Senenſis Conciliorum Statuta, ordinationesque Martini Papae V. ac ſuas, pro extirpatione haereſum, pace populi Chriſtiani, ac generali Reformatione in Capite & in membris, & pertinen-*

nentibus ad ea legitime inchoatum, a tempore praedictae inchoationis suae legitime continuatum fuisse & esse, prosecutionemque semper habuisse; continuari ac prosecutionem habere debere ad praedicta & pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset: Quinimmo praefatam dissolutionem de consilio & assensu Cardinalium apud se existentium, *irritam & inanem declarat, seque ipsum Sacrum Generale Concilium Basileense pure & simpliciter & cum effectu, ac omni devotione ac favore prosequi.* Atque ut eius mentis integritas ac *devotio quam ad Universalem Ecclesiam & Sacrum Generale Basileense Concilium gerit, omnibus constet evidenter* tres litteras Pontificias super dissolutione Concilii datas abrogat & revocat; primam scilicet quae incipit *Inscrutabilis* datam IX. Kalendas Augusti Anno. 1433., alteram cuius initium *In Arcano* datam Idibus Septembris eiusdem anni, tertiam quae incipit *Deus novit*, eadem die & anno datam, quam tamen veluti non sui foetum ablegat, & alias quascumque litteras, Acta, aut decreta *in praeiudicium aut dero-*

gationem praedicti Sacri Concilii Basileensis, seu contra eius auctoritatem facta, & attentata, seu asserta revocat, *nullaqe & irrita fuisse & esse* declarat. Patres non semel, dum eae legerentur, gratias egere Deo qui Ecclesiae periclitantis bono occurrerat, Eugenioque gratulantes aeque ac universae Synodo sanxerunt: Pontificem per huiusmodi litteras *plene satisfecisse monitioni, citationi, & postulatis Concilii, prout in decreto Sessionis XIV., & in Schedula ibidem inserta continentur*; suo ipsorum suffragio eas comprobarunt, atque in Acta referri statuere.

Ni novae deinceps inter Pontificem & Concilium simultates obortae novas turbas excitassent; ni viri coeteroquin summi, & doctissimi, sed nimium Conciliorum auctoritati invidentes, Cardinales scilicet de Turrecremata, Iacobatius, & Bellarminus lucem obtegere studissent, & falsa prorsus pro veris obtrudere, numquam hic narrationis filum abrumpere tentassem, sed ventis utique datis velis, incoeptum inter ad extremum usque nulla adhibita mora peregissem. Patiantur itaque lecto-

res

res me brevia, & ſyrtes quibus minitor hic expendere, ne peracto curſu non bene fidae ſtationi navem arguar imprudens credidiſſe, atque indecore curſum iterare cogar. Audiamus igitur Ioannem a Turrecremata qui luculentiſſimas Eugenii litteras quibus Baſileenſi Synodo adhaſit; nihil habere roboris ad ipſius decreta confirmanda totus exſudat oſtendere. Is libro II. *Summae de Eccleſia* Capite centeſimo ponit;

I. Eugenium quidem proſequutionem Concilii, non tamen omnia eius decreta approbaſſe, ſuper quibus eius Sedes numquam fuerat conſulta.

II. Suam in his mentem ſatis Eugenium aperuiſſe cum Iuliano S. R. E. Cardinali Concilii partes tutanti reſpondiſſe fertur: *Nos quidem progreſſum Concilii approbavimus, volentes ut procederet uti incoeperat, non tamen approbamus eius decreta.*

III. Forte compulſum metu, ne totus orbis Chriſtianus ab eo deficeret, Eugenium Apoſtolicas literas Concilio dediſſe, atque ex iis conatur arguere nullam habendam fidem decretis, quae

ſex-

ſexdecim ſeſſionibus in Synodo ſancita fuere.

Quis haec audiens temperet a riſu videns hominem ſalo oppreſſum algam ipſam arripere, atque ei veluti cortici nando confiſum interim ruere, interim emergere ex undis? Libenter utique tacuiſſem huiuſmodi obiectiones, quae cordatis viris excitant bilem, quaeque tales ſunt, quae valeant in proferentem ipſum conflare invidiam; ſed quis mihi non exprobraſſet dolum malum, quaſi conſulto praeteriiſſem ea quibus non poſſem reſpondere? Veritatis cultores, omneſque ii quorum intereſt inquirere uti res ſeſe habuerint, non uti mendax ut plurimum fama venditavit, nunc temporis adeo ſuſpiciuntur, tantaque cura in ſcirpo nodus inquitur, ut ſi obiectioni quamvis putidae non ſatisfecerint, in eos inſurgitur quam vehementiſſime. Ut itaque iniquo huic tempori inſerviam quodammodo, quis nam ſanae mentis in dubium revocare poterit Eugenium Synodo, eiuſque decretis non adhaeſiſſe, qui eam *Generalem* prorſus vocat, qui coactam agno-

gnoſcit & profitetur *pro extirpatione haereſum, pace populi Chriſtiani. Reformatione Eccleſiae in Capite & in membris, & pertinentibus ad ea*; qui aperte ſatis declarat *Concilium legitime inchoatum ſemper proſecutionem habuiſſe, ac debere habere ad praedicta & pertinentia ad ea, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet*; revocanſque tres apoſtolicas litteras, eiurat omnia & ſingula quae *in praeiudicium aut derogationem praedicti Sacri Concilii Baſileenſis, ſeu contra eius auctoritatem facta & attentata, ſeu aſſerta eſſent?* Si verbis utique danda fides inter homines, quis immo inficias ierit umquam Pontificem non eſſe profeſſum, Baſileenſe Concilium, ut pote Univerſam Eccleſiam repraeſentans, fuiſſe infallibile in definiendis, explicandiſque dogmatibus, ac rite & ſancte ſanciviſſe proinde auctoritatem Concilii ſupra Romanum Epiſcopum, qui ab eo reformari poteſt? In meridiana luce profecto caecutiret qui de his adhuc ambigeret, aut inique in ſumma re, proh nefas! ludentem induceret Pontificem, univerſamque Ec

cle-

clesiam mentitis verbis propudiose decipientem. Videant quo rem deducant ii quorum interest Romano Pontifici fucum facere, ut suis ipsorum assentationibus utiles sibi dignitates cauponantes emant. Me sane puderet & somniantem id mecum reputasse; neque is ego sum qui credam Eugenium ultro voluisse proferre quae refert Cardinalis a Turrecremata, suo scilicet suffragio non comprobasse Concilii Sanctiones, quas uti legitime factas *pro generali reformatione Ecclesiae in capite & in membris* per quam apertissime pronuntiarat; suo enim ense se ipsum iugulasset, verenda ipse sua aperuisset, seque versipellem & mendacem ostendisset, non Petri, sed Ananiae & Sapphirae sectatorem. Praeterea Eugenius puerulus ne ita erat, atque adeo imbellis animi, ut compulsus metu litteras humanitatis plenas conscripserit, iis Concilio adhaeserit, & mentem simulans, se *cum effectu ac omni devotione & favore Concilium prosequi* declaraverit? De quovis ignoto, atque infimae plebis homine vix ac ne vix quidem haec som-

ſomniarem quae Eminentiſſimi auctores, ut putidas de Romano Epiſcopo opiniones defendant, pro veris jactant in vulgus, & quaſi nemo ita ſit rationis compos, ut res inter ſe valeat componere, aniles fabellas obiectant, quae emunctae naris hominibus ſtomachum movent, & iram. Ni velimus itaque Eugenium vel aequo nimium inani timore abreptum contra omne fas putare, vel univerſae Eccleſiae indecore mentientem inducere, oportet nos porro ipſum Baſileenſi Synodo conſenſiſſe credere, cum illa ſuam univiſse ſententiam, atque eidem conſona prorſus ſcripſiſſe, nec non idcirco *pure & ſimpliciter* Concilium Baſileae rite coactum, & *legitime continuatum* uſque ad ſeſſionem XVI. ſuo utique ſuffragio comprobaſſe (1). Neque ex eo quod

(1) Praeſtat & hic referre luculentiſſimum aliud teſtimonium, quo Eugenii mens detegitur, eius litteras ſcilicet Florentiae datas nono Kalendas Iulias anni 1434. cum reſcivit, Synodum eius legatos debito honore eſſe proſequtuum. In iis primum ſignificat ſe cum patribus ſemper in idem conſpiraſſe, etsì

quod intentos nos videant in hanc veritatem adstruendam ab Iacobatio docti, atque a Bellarminio, arma rursus arripiant, sibique plaudant quasi ipsi

---

etsi tantum *in loco celebrandi Concilium, salva semper pietate, dissenserit.* Nec id mirum, cum SS. *Paulus & Barnabas* propter *Ioannem* cognomento *Marcum* ad invicem dissentientes separati sint, *quos tamen Christi Evangelium copulabat*. Subdit praeterea: *Optavimus pacem, optavimus Ecclesiae reformationem: ob hanc rem non solum cessimus vobis, sed etiam per litteras nostras decreto vestro, quemadmodum dictastis, annuimus.* Et infra: *Hoc nostrum propositum est, hic noster affectus, vos amare ut filios, observare ut fratres, & in benedictionibus dulcedinis, una nobis praecipua Charitate constringi. Sic etiam de vobis confidimus, ut non alii apud vos sitis, sed pro ipsius Apostolicae Sedis reverentia fideles & devotos animos ad Nos habeatis. Huius siquidem confidentiae signa perspeximus, primo quod ex nostro consensu ad Sacrum Generale Concilium Basileense plurimum laetati estis. Iterum quod praesidentes nostros affectu & opere amodo sic vobis coniunctos, ut pene unum invicem esse videamini, audivimus. Ex his congratulamur plurimum devotionibus vestris, congratulamur Ecclesiae Sanctae, cui profectum evenire speramus. . . . . . Superest ut eo affectu quo coepistis, in Deum quotidie succrescentes, ad Generalem Ecclesiae Reformationem sine ulteriori mora vigiles sitis . . . . . Nostis enim quantum ea indigeat Religio Christiana; quia, ut ait Propheta: a planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas . . . Quantum ad nos pertinet*

ipsi nobis non consiemus, atque divinam Conciliorum auctoritatem defendentes, suffragium Romani Episcopi quaeritemus, ut Synodi alicuius decreta sarta tecta habeantur; siquidem profitemur, Concilium Oecumenicum independenter a quavis confirmatione auctoritatem suam nosse immediate a Christo, & a Spiritu Sancto, *Vigor enim definitionis*, ut verbis utar Cardinalis Nicolai de Cusa in Lib. III. *de Concordantia Catholica* Cap. 4. *non est ab ipso Primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium & ipsius & aliorum consensu dependet*; atque iuxta Catholicae Ecclesiae doctrinam tenemus: nullam aliam confirmationem Romani Pontificis ad Oecumenicae Synodi auctoritatem declarandam necessariam esse, quam illius cum Patribus consensum cum eius potissimum sit Generalia Concilia uti quatuor Evange-

---

net, omnes operas nostras pro his rebus libenter offerimus, nihil pro nostro officio praetermittentes, quo gloriam Deo, pacem & salutem populo Christiano ex his sanctis operibus vindicemus. Et ambigetur adhuc Eugenium Basileensi Concilio, eiusque decretis ex animo non adhaesisse?

gelia habenda esse docere, toti mundo praebere servanda, exequenda opere; Gelasius namque primus *Universalis Ecclesiae Statuta* asseverat *nullam esse sedem, quam magis exequui oporteat, quam primam.*

Atque ut haec missa faciamus, quae luce clariora per se resplendent cuique non lippis oculis intuenti, atque historicam, quam instituimus, narrationem instauremus, vix Basileensis Synodus supremam auctoritatem qua pollebat declaraverat in XVI. Sessione, quod paulo post, octavo scilicet Kalendas Maias anni 1434. Eugenii legatos *nominibus privatis* aliis patribus cooptavit, juraturos tamen, quod uni Concilio, eiusque decori actu studerent, eius sanctiones pro viribus defenderent, atque in primis decretum Constantiensis Concilii de suprema Conciliorum generalium auctoritate, eorumque potestate in Romanos Pontifices *in iis quae pertinent ad extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiae in capite & in membris*, darentque salubre consilium in quavis re, neque a Concilio recederent absque venia; atque his condi-

tio-

tionibus ſexto Kalendas Maii, in ſeſſione XVII. illis datum fuit ut praeſiderent Synodo *nomine*, *vice*, *&* *loco Eugenii*, ea tamen lege ut Acta Concilii *Bulla*, *&* *Sigillo* eiuſdem Synodi obſignarentur: ac ſexto Kalendas Iulias Patres in ſeſſione XVIII operae pretium duxere duo Conſtantienſis Concilii Statuta iterum renovare, quorum altero ſancitum eſt: *Generale Concilium poteſtatem a Chriſto immediate habere, cui quilibet, cuiuſcumque ſtatus vel dignitatis etiam Papalis, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem, & extirpationem Schismatis, & ad generalem reformationem Eccleſiae in capite & in membris*: altero vero cautum eſt. *Quod non obedientes Mandatis & Statutis huius Sanctae Synodi, aut cuiuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper praemiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, debite puniantur, cuiuſcumque ſtatus & dignitatis, etiamſi Papalis exiſtant*: tantae molis erat antiquo Eccleſiae decori, quae Hierarcice regitur ſtudere, antequam cetera curarentur. Inſtabat interim petitio Graecorum qui an-

anno iam ſuperiore ad Synodum ſcripſerant, illis maxime cordi eſſe ut Concilium Oecumenicum utriuſque Eccleſiae haberetur, ſperantes hac una ratione unitatem fidei poſſe firmari inter utramque. Baſileenſes itaque Patres rati opportunum tempus ſe nactos, rei tanti momenti obſequendi, in ſeſſione XIX. decrevere Ioanni Palaeologo Graecorum Imperatori, & Ioſepho Conſtantinopolitano Patriarchae ſuadendum ut cum Epiſcopis Baſileam convenirent, vel Italicam civitatem eligerent, eo promittentes, exacto menſe ab ipſorum adventu, Concilium transferre quo ſe contuliſſent, rogandunque Eugenium ut incoeptis faveret pro rei dignitate ac momento. Praeterea ſancierunt nonnulla, quae Iudaeos atque alios infideles ſpectant, aeque ac etiam in vigeſima ſeſſione habita undecimo Kalendas Februarias Anno 1435. Canones quam opportunos tulere in Clericos concubinarios, eorumque filios; ſtatuere eos tantum vitandos eſſe excomunciatos qui tales omnibus haberentur, non ſubicienda Eccleſiaſtico interdictui loca ex noxa cuius

cum-

cumque personae, nec secundo appellandum *super eodem gravamine, aut interlocutoria sententia*. Haec atque alia huiusmodi maximi sane momenti erant, sed, ut pote jam in aliis Conciliis sancita, minus afficiebant eorum animos qui exoptatae Reformationi inhiabant. Illis vero coeptum est morem gerere die nona Iunii in Sessione XXI., in qua primo cautum est ne tum in Romana Curia, tum alibi *quid penitus ante vel post exigatur* pro confirmatione electionum, admissione postulationum, Beneficiorum collatione, praesentatione, atque aliis de causis, *ratione Litterarum, Bullae, Sigilli, annatarum, communium & minutorum servitiorum, primorum fructuum, deportuum, aut sub quocumque alio titulo, colore, vel nomine, praetextu cuiusvis consuetudinis, privilegii vel Statuti*; necnon statutae sunt poenae simoniacorum in huiusce Canonis transgressores, provisumque est ut *si Romanus Pontifex, qui prae ceteris universalium Conciliorum exequi & custodire canones debet, adversus hanc sanctionem aliquid faciendo Ecclesiam scandalizet, Generali*

Con-

Concilio deferatur. Saluberrima deinde lata ſunt decreta quae divinum externum cultum ſpectant; cumque Idibus Octobribus in Seſſione XXII. Libellus Auguſtini de Roma Nazareni Archiepiſcopi damnatus fuiſſet *tumquam non sanam, & erroneam in fide doctrinam continens*, in XXIII. Seſſione habita VIII. Kalendas Aprilis Synodus conſtitutiones de ratione eligendi Romani Pontificis a Generalibus Concilis firmatas ſuo roboravit ſuffragio, Iuramentum ab Electo praeſtandum praeſcripſit, Cardinalium numerum ad viginti quatuor redegit, omneſque *Pontificias reservationes* abolevit, execeptis iis quae in corpore juris habentur, atque ſacrarum electionum ius Capitulis, ex antiqua conſuetudine, voluit omnino tribui, quo decreto impotentis Curiae Romanae dominatus reformationi praecipue occurrebatur.

Aequo profecto animo id non tulit Eugenius, ratuſque infecta omnia fore quae Concilium ſanciverat, ſi Graecos ſibi magis quam Baſileenſibus obſecundantes reddidiſſet, dum in

XXIV. Seſſione de ſumptibus ac triremibus Graecis ſuppeditandis, de Indulgentiis eis tribuendis, deque uno ex Italiae locis maritimis conſtituendo, pro ipſorum voluntate, ut ibi exoptata Synodus utriuſque Eccleſiae haberetur, differebatur, Pontifex Concilio Utini, vel Florentiae civitates a ſe electas edixit, ut pote quae magis, ob loci opportunitatem, graecis ipſis arriſiſſent, & ſibi, qui confectus ſenio, & morbis ſaepe laborans, longum iter arripere non valebat. Iterata nimium haec in Graecos Eugenii ſtudia veteres cum Pontifice ſimultates in mentem cuiuſque revocarunt, & eo magis ea erexere animos nonnullorum ex Patribus, quo minus ipſum noverant Concilio, eiuſque pro Graecis curis, favere; quocirca in ſeſſione XXV. habita Nonis Maii Anni 1437. tanta efferbuere ira, ut tumultus & turbae dein non componendae fuerint exortae; exinde enim Epiſcopi, in duas partes diviſi, in contrarias inter ſe ſententias ivere. Hinc Pontificii Legati cum paucioribus ex Patribus contendebant morem gerendum

Eugenio qui Florentiae vel Utini habendam Synodum cum Graecis jam decreverat, illinc Ludovicus Cardinalis Arelatenſis cum ceteris vindicandum jus Concilii aſſerebat; & quoniam unanimi utrique conſenſu Patres Conſtantinopolim miſerant legatos exploraturos Graecorum voluntatem, atque ii retulerant tum Palaeologum, tum Patriarcham nihil haeſitaſſe quin oblata a Concilio reciperent, contendebant vel Avenione, vel in Sabaudia celebratum iri Concilium, timendum namque de eius libertate in Italia, quae Romani Epiſcopi nutu ut plurimum regebatur. Utrique igitur tamquam pro aris & focis invicem pugnaturi ſententiam ſuam defendere agreſſi ſunt, utrique decretum tulere quod ſuae parti faveret, utrique adeo debacchati ſunt, ut vix crediuiſſes eos pro veritate pugnare. Concilii praeſes non ſemel in tanto rerum tumultu iras comprimere tentavit, non ſemel animos conſociare, mandans de more ſuffragia a Patribus expoſci, id quod negabant debere fieri Legati, ſed conſuetudinis robore adacti, de ſententia prius cedere nonni-

hil visi sunt, dein Sigillum Concilii renuerunt dare, ne Sanctio habita a pluribus obsignaretur; ac ni praeses iterum obsecrationibus, atque minis facinus amovisset edicens, Sigillum tribus arbitris credendum, quorum opera decretum muniretur, forte tunc Patres manus inter se conserere visi essent: adeo iniquum est studio partium abripi quomodocumque. Legati interim spe concepta frustrati dolos & astus mente volutare coeperunt, atque discissa capsula in qua Concilii Sigillum servabatur, remotis arbitris, decretum quod ipsi confecerant obsignarunt, posthabita quavis tum fidei, tum dignitatis ratione, dummodo suae ipsorum voluntati obsecundarent, nec veritiq, uod brevi revelatum facinus eos infando afficeret pudore. Vix id rescitum fuit revera, vixque Tabellari Legatorum deprehensi doli patentia monumenta dedere ex epistolis quas deferebant, quod in Tarentinum Archiepiscopum, aliosque eiusdem farinae viros conquisitum est, & cum haberetur Sessio XXVI. pridie Kalendas Augusti in ius advocatus est Eugenius

ad diem ſexageſimum, ſe purgaturus in Concilio ab illatis ſibi criminibus; putabant enim Patres patrata a Legatis eſſe uni Pontiſici referenda, qui & nihili feciſſe Synodi Sanctiones arguebatur. Perculſae tunc fuere omnium mentes eorum quotquot inopinata audierunt, ac praecipue Iuliani Cardinalis Concilii Praeſidis, qui ſemel, iterum, & tertio Patres inſtantibus obſecrationibus rogavit, ne decretum ferrent quod conſcripſerant, quodque Eccleſiae unitati & paci dire nimium obfuiſſet. Irriti tamen omnium conatus fuere: Eugenio dictus eſt dies, additaeque praeterea minae: atque ut magis cuique mens Concilii innoteſceret in ſeſſione XXVII. Sexto Kalendas Octobris abrogata eſt nova inauguratio Cardinalium facta ab Eugenio contra ſanctionem Synodi; uti commentitias, falſoque affictas Concilio litteras de nominatione Florentiae & Utini, quamvis Sigillo Synodi obſignatas, atque eius nomine in vulgus obtruſas, habendas eſſe edictum eſt, ac civitatis Avenionenſis alienatio prohibita; increbuerant enim rumores Eugenium eam vendere decreviſſe ad ſumptus

ptus

ptus Graecis ſuppeditandos; & Kalendis ipſis Octobribus in ſeſſione XXVIII. elapſo jam ſexaginta dierum intervallo, quod Patres Baſileenſes Pontifici condixerant, ipſum contumaciae accuſarunt, Synoduſque *ad ulteriora contra illum proceſſum* iri decrevit, *conſideratis neceſſitatibus, & utilitatibus Univerſalis Eccleſiae*.

Refugit animus infandum hic renovare dolorem quo laboravit Eccleſia tunc temporis, ac libenter quae ſpectant reliquam huiuſce Synodi hiſtoriam praeterirem, ingens enim horror mentem angit cum ea mecum ipſe repeto partium ſtudia, quibus homines haerebant non veritate adacti, non amore pietatis, ſed ſibi, ſed ſuis gratificantes, obliti penitus eorum, quae Chriſtiani nominis gloriam & decus maxime decent. In eo ipſe ſum ut duas veluti inſtructas acies inter ſe digladiantes ob oculos lectorum ponam, quae invicem infenſae altera diris alteram devovebat, & collatis ſignis immane prorſus decertabant, hinc ſcilicet Baſileenſes Patres Synodi auctoritatem pro viribus tutantes, inde Eugenius, qui Marii Mercatoris men-

da

dacissimae impudentiae fretus irritas tentabat reddere sanctiones Conciliorum tum Constantiensis tum Basileensis, ut suae Sedis impotentem dominatum latius extenderet. Nullus hic tamen putet me velle in tanto rerum discrimine utriusque partis momenta expendere quasi iudicis personam induerim. Meum hic est historicum referre, turbas narrare, minime invidens lectoribus cuius maluerint sententiam tueri pro lubito, dummodo quisque teneat Oecumenicum habendum esse Basileense Concilium in iis quae sancita fuerunt donec Ferrariam translatum fuit, id enim constat, ut cetera omittamus, ex epistolis ipsis Eugenii, datis Romae XII. Kalendas Augusti anno 1447. ad Sedis Apostolicae Legatos in Conventu Praelatorum & Principum Nationis Germanicae, in quibus haec leguntur: *Nos ipsis Regis & Electorum supplicationibus inclinati, ad imitationem SS. Patrum Praedecessorum nostrorum, quorum vestigiis inhaerentes, gratum Divinae Maiestati obsequium praestare non dubitamus: sicut illi Generalia Concilia suis temporibus rite insti-*

institutâ, atque canonice celebrata recipere, amplecti, ac venerari consueverunt: sic generalia Concilia Constantiense ac Basileense ab eius initio usque ad translationem per nos factam ..... cum omni reverentia & devotione suscipimus, amplectimur, & veneramur.

Vix interim Eugenio innotuit se in ius advocatum a Concilio, cum statim Kalendis ipsis Octobris, quo die sessio XXVIII., ut supra innuimus, Basileae habita est, Synodum transferendam Ferrariam decrevit, inchoandamque cum illuc Graeci appulerint, si Basilenses decreta sua emendaverint, sin minus illico veluti inchoatam habendam, oblatis tantummodo triginta dierum induciis, ut Bohemorum causa quod ad communionem sub utraque specie absolveretur. Hisce auditis infremuere Patres, ac rati minime ab ipsis dandas esse victas manus Pontifici, qui postquam Conciliorum auctoritatem revereri dixerat, nihili eius sanctiones faciebat, in Sessione XXIX. quarto Idus Octobris, Synodi solutionem, eiusque translationem irritas sancivere, iusseruntque il-

las

las revocaret, alioquin iis afficeretur poenis quae latae ſunt in decreto XI. Seſſionis, atque a Pontificia dignitate deiectus, niſi infra quatuor menſes reſipuiſſet, cenſeretur: illum praeterea obteſtabantur Eccleſiae bono conſuleret memoria repetens quae ipſe probarat ac confirmaverat, priori Concilii ſolutione eiurata. Ut vero quae Eugenius iuſſerat de Bohemis viderentur tanti facere quanti oportebat, eo magis quod ea maxime conducebant ad tollendos de Eccleſia errores, in Seſſione XXX. habita decimo Kalendas Januarii decretum tulere quo ſancitum eſt: *Proficere digne communicantibus ad ſalutem, ſive quis ſub una ſpecie, ſive ſub duplici communicet; nec ullatenus ambigendum eſſe, quod non ſub ſpecie panis caro tantum, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie, eſt integre totus Chriſtus*. Atque adeo *conſuetudinem communicandi laicum populum ſub una ſpecie.... pro lege habendam eſſe, nec alicui licitum eam reprobare, aut ſine auctoritate Eccleſiae eam immutare*. Non tamen movere Patres Pontificis repetitae minae,

non

non Principum, ac Caesaris praecipue, quaerimoniae quin incoepta prosequerentur, immo in reformationis opus maiori sedulitate incumbentes Nono Kalendas Februarii An. 1438. in Sessione XXXI. primo stâtuerunt *ut quaecumque causae, exceptis maioribus in iure expressis, terminentur & finiantur ab iis, qui de iure aut consuetudine praescripta cognitionem habent*: *secundo frivolas & desultorias appellationes* prohibuere, vetantes ante *diffinitivam sententiam* ad quemcumque, etiam ad Romanum Pontificem appellari: tertio *Gratias expectativas & Reservationes Beneficiorum iam factas vel faciendas a Romano Pontifice* penitus abolendas decrevere, iubentes *Viris litteratis & graduatis beneficia certo ordine conferri ab Ordinariis*, ab iisque institui Theologum, qui semel vel bis in hebdomada lectionem habeat: quarto denique Eugenium ab omni Pontificatus administratione tum in spiritualibus, tum in temporalibus suspensum dixere, Synodo omnem eius actoritatem devolutam profitentes ex eius contumacia, nam contra universalis Con-
cilii

cilii ſanctiones tranſlatum voluerat Ferrariam, ac diſſolutum Baſileenſe Concilium. Non unus interim ex Patribus Baſilea diſceſſit, atque inter eos Cardinalis ipſe Iulianus, qui futuros rerum tumultus praevidens, autumanſque ex tanta animorum diſſenſione infanda quaeque proceſſura, Ferrariam ſe contulit & ipſe acturus cauſam Graecorum. Quoniam vero praeſide carebat Concilium ex eius receſſione, Baſileenſes ei ſuffectum voluere Ludovicum Arelatenſem, cuius doctrina & integritas probe perſpectae erant cuicumque, illique ut Synodo, atque omni Chriſtianae rei praeſſet communibus ſuffragiis mandarunt, eoque auctore in Seſſione XXXII. habita nono Kalendas Aprilis decretum tulere, quo Ferrarienſem Synodum uti contra omne fas, ac ſtatuta Baſileenſis Concilii coactam damnabant, in ius iterum advocantes Eugenium, ut iis quae ſui erant poſthabitis, veritati ſtuderet & paci. Surdo tamen canebant fabulam Patres, eoque iam deductae res erant, ut vix unitati conſuli poſſet, diſſociatis animis omnium, atque adeo
ſtudio

ſtudio partium abreptis, ut quivis ipſos inter ſe componere eſſet aggreſſus non poſſet quin alterutram partem offenderet. Inſtabant revera Principes ne a Baſileenſibus incoepta perficierentur, atque obteſtabantur Pontificem ut de Concilio remiſſius ſentiret. Quotidie nova utriſque proponebantur ut inter ſe coirent; Nurembergae, Moguntiae atque in Gallia plures conventus hac de re habiti tunc fuerunt; nihil intentatum relictum eſt; irrita tamen omnia: niſi enim principiis obſtes, difficile malo occurres quod inveteraſcit alendo, nec medeberis ulceri, niſi ad vivum reſecata carne, omnem cauſam morbi auferre ſtudueris. Recte igitur tunc temporis optimi quique principes viri monebant rerum iniquitati conſulendum, atque tum Baſileenſi tum Ferrarienſi Synodo abrupta, alibi aliam inſtaurandam eſſe, in qua inter diſsidentes pax tandem aliquando iniretur. Optime quidem medici de pharmaco; ſed quid dolemus ſi aegroti renuant quae recuperandae valetudini conducunt? Eugenio non arridebant quae de ſuprema

Con-

Concilii auctoritate ſancita fuerant, nec quomodo abrogari poſſent ſentiebat; iis adhuc praecipue ſuperſtitibus qui, illis veluti ſcopulo haerebant, ac totus in eo erat, ut ſi non omnes valeret infirmare ſanctiones tum Conſtantienſis tum Baſileenſis Synodi, poſſet novas nubes offundere, quibus eae obſcurarentur. Huic rei conficiundae Marii Mercatoris commenta aptiſſimum ipſi ſternebant iter penes Graecos; Baſileenſes vero Patres rem maturandam contra Pontificem contendebant, *neque ſibi licere, neque utile eſſe Reipublicae Chriſtianae, ut iudicio contra Eugenium ſuperſederetur, utve mutatio alia Concilii fieret, quoniam nihil aliud eſſet mutare quam diſſolvere Concilium, & iudicium contra Eugenium iuſte & neceſſarie incoeptum fruſtrari*. Decimo ſeptimo itaque Kalendas Iunii anno 1439. in Seſſione XXXIII. tres articulos, uti totidem veritates fidei, ſanciverunt habendos, quorum primus eſt *de Poteſtate Concilii ſupra Papam, & quemlibet alterum*; alter *quod Papa Concilium generale actu legitime congregatum, ſine eius conſenſu nullatenus*

latenus poteſt diſſolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre; tertius quod *his veritatibus pertinaciter repugnans eſt cenſendus haereticus*. Et ſeptimo Kalendas Iulii in Seſſione XXXIV. tulere ſententiam depoſitionis in Eugenium *tanquam notorium & manifeſtum contumacem, mandatis Eccleſiae Univerſalis inobedientem, violatorem canonum Synodalium, pacis & unitatis Eccleſiae perturbatorem, ſimoniacum, periurum, incorrigibilem, ſchiſmaticum, a Fide devium, haereticum, dilapidatorem iurium & bonorum Eceleſiae, inutilem & damnoſum*. Modum hiſce rebus imponere jam impoſſibile omnibus habebatur, atque in tanto rerum diſcrimine, cui haerendum parti, a qua recedendum eſſet nemo audebat proferre, adeo ut quivis nec mentis inops, nec praeiudicis adactus in neutram inclinabat partem, exoptabatque diem advenire in qua, privatis eiuratis ſtudiis, & pace firmata, tandem aliquando quae Eccleſiae ſunt omnes aequo animo curarent. Quae Baſileenſes ſancibant irrita & vana pronuntiabat Eugenius, quae tum

Fer-

Ferrariae decernebantur, tum Florentiae, quo commeare adacti fuere Graeci cum Pontificiis, pestifera intercedente lue, a Basileensibus in ius revocata damnabantur, qui interim in Sessione XXXV. lato decreto de stabilitate Concilii, etsi quivis ab eo recesserit, & in XXXVI. declarata doctrina de Immaculata Conceptione Deiparae Virginis, edictoque quod in universa Ecclesia eiusdem Sanctae Conceptionis festum celebraretur, omnem movebant lapidem ut quam citissime quis in Eugenii locum sufficeretur. In id praecipue intenderunt Patres Sessionibus 37., & 38. in quibus de ratione eligendi, de forma consensus, professionis, & iuramenti ab Electo praestandi actum est, & sancitum quod triginta duo cum ex praelatis, tum ex aliis Ecclesiasticis viris designarentur, qui cum Cardinale Arelatensi, atque aliis Cardinalibus, si qui adessent, novum eligerent Pontificem. Non diu inter electores disceptatum est; cumque jam mundo innotuisset nomen & virtus Amedei Sabaudie ducis, qui, filiis

cre-

creditis habenis regiminis, in feceffu Ripallienfi Gebennenfis Dioecefis a pluribus annis Religiofam vitam agebat, poft diem quintum, ex quo Conclavem adierant, illum in Summum Pontificem elegerunt, non fine omnium laetitia, eaque electio decimoquinto Kalendas Decembris in feffione XXXIX. promulgata eft uti rite canoniceque facta, & Kalendis ipfis Martii Anni 1440. in quadragefima Seffione, eiufdem Amedei, Felicis V. nomine nuncupati, confenfus cum fidei profeffione ab ipfo edita publice lectus eft, iufsumque a Synodo ut univerfi Chriftifideles ipfi obedientiam tamquam Romano Pontifici omnino profiterentur. Intumuit ira Eugenius cum haec refcivit, anxiufque animi, eo magis diris devovere tum Felicem tum Synodum aggreffus eft, quo videbat Burgundios, Gallos, Auftriae Duces & Bavariae, Sabaudiam, Mediolanum, & Elvetios favere Bafileenfibus; Alemannos neutralitati devotos, plerafque Univerfitates fibi infenfas, atque Italiam tantum ftare pro fe, cui & parum fidendum autumabat; in ea

enim

enim permultae civitates imperio vulgi tunc regebantur, Principesque viri foederibus magis quam viribus potentes facile, ut rebus obsequerentur suis, valebant a sententia recedere. Arma ergo quae poterat tractabat, & tempori inserviens, conviciis, & anathematibus insectabatur Patres, qui ut vices rependerent, in Sessione XXXXI. Eugenii libellum damnarunt veluti scriptum famosum, schismaticum, haereticum, nulliusque momenti habendum: *illorum* enim declaravit Synodus *scripta recipi non debere quorum damnantur auctores*. In tanto rerum tumultu, ac dum interim hinc inde peculiares conventus tum in Gallia tum in Germania habebantur, atque praecipuae Universitates Consilia conscribebant quibus auctoritas Concilii, Felicisque inauguratio, uti rite canoniceque facta, defendebantur, maiores excitatae turbae universo orbi incubuere, eaque mala portendebant Ecclesiae, quibus utique laborasset ad interitum, ni Deus Virtutum & Pacis fuisset in Isdrael. Caroli VII. Christianissimi Regis imperio

rio Gallicana Ecclesia comitia habebat Avarici Biturigum, eoque convenerant tum Eugenii Legati, tum Basileensium oratores, quique suam ipsorum causam acturi; petentes scilicet Pontificii I. *Ut Rex a tempore translationis Basileensis Concilii Ferrariam, Basileense Concilium reprobaret, & Ferrariense Concilium & in eo acta approbaret:* II. Ut nullo modo *Eugenii depositioni consentiret, nec electionem per Basileense Concilium factam de Duce Sabaudiae probaret:* III. *Ne inconsulto Eugenio oratores mitteret ad conventum Imperii a Friderico III. Augusto indictum Moguntiae*: IV. *ut Pragmaticam Sanctionem suspenderet*: Basileenses vero obtestantes Regem ut Generalis Concilii auctoritatem supra Romanum Episcopum tueretur, Oecumenicum agnosceret omnino Basileense, suoque suffragio comprobaret electionem Felicis V., atque Eugenii IV. exauctorationem. Libelli eorum supplices excepti sunt, cumque deliberatum esset ab Episcopis de Legatorum postulatis, communicata re cum Carolo,

 Regis

Regis nomine responsum est: I. *Se paratum esse audire Ecclesiam legitime congregatam*: II. *Quod Basileense Concilium ut legitimum agnoverat, ad ipsum Oratores miserat, eaque omnino approbabat quae multa bona constituerat, nec unquam congregationem Ferrariensem pro Concilio habuerat, aut habebat*: III. *Quod de mittendo Moguntiam opportuno tempore deliberaret*: IV. *Quod pragmaticam sanctionem inviolabiliter observari vellet; & si quae duriora in Concilio Basileensi viderentur, temperari possent*. De ceteris vero se Eugenio adhaerere profitetur usque dum per generale aliud Concilium, vel Gallicanum alium conventum is certior fiat *de veritate istius causae, dubitatio enim est non modica an suspensio, depositio, & subsequens electio facta Basileae sint rite, iuste, canonice, & legitime celebrata*, cum dubium adhuc supersit *an illa congregatio illis diebus, quibus haec agitata & facta sunt, sufficienter repraehesentaverit Ecclesiam Universalem ad tantos & tam arduos actus exequendos, qui de proximo respiciunt totam Ecclesiam*. Mense

se praeterea Maio Anno 1441. Conventus Principum Germaniae habitus est Moguntiae quo pariter missi sunt tum Pontificii tum Basileenses legati, defensuri illi auctoritatem nullis circumscriptam finibus Romani Episcopi, Concilii generalis isti potestatem etiam supra Pontificem confirmaturi. Tunc revera innotuit cui in tantis turbis rei praecipue studeret Eugenius, undecim enim obtulit propositiones, quae etsi reiectae tunc prorsus fuerint, utpote a veritate alienae, atque ut plurimum a Sacra Scriptura, & a Traditione absonae, tamen quoniam illis adhuc innititur tota contendens Romana Curia, eas hic non pigebit referre, ut cuivis constet illam semper eamdem fabulam canere, quamvis non semel risu exceptam, & exsibilatam. Contendebant itaque 1. *Claves Ecclesiae soli Petro, & eius successoribus datas.* 2. *Papam non nisi in causa haeresis a quopiam esse iudicandum, sed propria potestate se ipsum iudicaturum.* 3. *Papam dispensare posse de iure divino & humano, super quae potestatem habet.*

4. Papam omnibus Christianis praeesse, & ita Concilio generali, ut illi potestatem tribuat. 5. Generale Concilium non habere potestatem immediate a Christo sed a B. Petro & eius successoribus. 6. Legibus & Statutis omnibus generalium Conciliorum Papam posse contravenire legitime. 7. Haec verba: Quaecumque alligaveritis super terram &c. non esse dispositiva, aut Clavium collativa. 8. Summum Ecclesiae Tribunal, & in terris supremum iudicium apud Papam solum esse. 9. Nemini licere Summo Pontifici dicere, cur ita facis? 10. Exercitium Clavium in plenitudine potestatis in terris, Papae tantum competere, quia omnia potest in terris. 11. Concilium generale veluti arenam sterilem esse, nisi a Papa foecundetur. Hisce auditis Principes non solum suum ipsorum suffragium non contulerunt, verum neque rati sunt opportunum respondere iis, quae si probarentur, in uno Romano Episcopo profiteretur summam inesse Ecclesiasticae potestatis, contra sancita in generalibus Conciliis; & una cum oratoribus Caesaris, & Chri-

Chriſtianiſſimi Regis in eam ſententiam ivere omnes: *Pro pace Eccleſiae eſſe congregandum generale Concilium in alio loco extra Baſileam & Florentiam: Caeſarem, cum aliorum principum aſſiſtentia, contendentes interpellaturum, ut ad Concilium veniant concordiae cauſa: Si contendentes, vel alter eorum, locum eligere noluerint, Caeſarem electurum, Conciliumque generale omnino inchoandum Kalendis Augusti An.* 1442.: *Caeſarem, Reges, ac Principes daturos operam ut Praelati & alii ex ſuis provinciis Concilium petant.* Hoc uno revera occurri poterat ingruentibus malis, ni novae ſimultates intercedentes in dies optatam pacem protraxiſſent, quae longo veluti poſtlimino revocata tandem affulſit Chriſtiano orbi Anno 1447. Eugenio IV. e vivis ſublato, in eiuſque locum ſuffecto Nicolao V., qui Principum ſuffragiis fultus in tollendo Schiſmate totus incubuit. Baſileenſes jam quatuor aliis ſeſſionibus quae Felicis V., atque aliorum tutelae conducebant, providerant; atque ne abſolutum omnino Concilium putaretur, Lauſanam eiuſ-

eiuſdem Biſuntinae Provinciae urbem translatum declaraverunt, ibique Friderici Romanorum, Carolique Gallorum Regum opera Anno 1449. Nicolaum V. Pontificem renuntiarunt, abdicata iam a Felice V. Romana Sede, qui Sabinenſi Eccleſiae praefectus fuit, atque honoribus undique cumulatus.

Non unus Raynaldus cum ſpondano & Bzovio diras criminationes congerit in Baſileenſes Patres, quos & antiquo odio laboraſſe in Eugenium IV. gratis utique non veretur profiteri, Cardinalem praecipue Arelatenſem, & Amedeum Ducem Sabaudiae, atque hos uti Romanae Eccleſiae infenſiſſimos hoſtes, & ſchiſmate ab ea avulſos non ſemel traducit. Meum tamen hic non eſt illorum effraenem iracundiam coërcere qui & rationi ipſi valedicunt, dummodo male laboranti Romanae curiae quoque modo opem ferant. Vellem vero ipſos ſemper ſibi conſtare, atque, uti probum quemque decet, dum nodum quaerunt in ſcirpo ut damnent quemvis qui rerum ſummam non

ex

ex ſententiis, ſed ex earum natura penſitat, non diris temere devoveant quos Romani ipſi Pontifices non mediocri honore ſunt proſequuti. Lubens omitto quae Nicolaus V. tribus conſtitutionibus in Baſileenſium criminatores ſancivit, quaſque videre eſt in libro cui titulus *Amedeus Pacificus* a Petro Monodo conſcripto, & tantum obiciam decretum Clementis VII. datum die nona Aprilis Anno 1527. quo *Ludovicus Alemannus Cardinalis Arelatenſis* inter Beatos refertur, & ſacris dignandus honoribus & cultu cenſetur, a cuius tamen nutu tota Baſileenſis Synodus pendebat, eiuſque ductu patrata ſunt quae hucuſque retulimus. Huiuſce rei pondus ſenſit & ipſe Raynaldus, qui carybdim vitans incidit in ſcyllam, ſcribenſque: *Adoranda eſt itaque miſericordia divina, quod exiguo temporis fluxu Ludovicum ipſum nefandi, & perniciosiſſimi ſchiſmatis authorem, propagatorem haereſeos, qui ex erronea conſcientia innumera mala in Dei Eccleſiam invexerat, ac tot annorum curſu in perti-*

tinacia obfirmatus, profanarat sacramenta, poenitentem ac reversum in gremium Ecclesiae, ad sanctitatis culmen evexerit; obtrudere minus cautis studuit merum commentum in Ludovico de poenitentia facti, de quo semper ubique altum silentium. Si inflatis buccis hinc inde crepant esurientes Romanae Curiae assentatores id quod humani passus est Aeneas Sylvius, quid non ovarent in Ludovici poenitentia, cum aliquod eius extaret monumentum? Operam itaque perdit, & vigilans etiam somniat noster historicus suae partis in hoc, uti in aliis oblitus, nam quin religiose referat quomodo res sese habuerint, invidiam in hunc, in illum amorem conflare studet pro lubito, & muliercularum vel infantium more, qui minores in rixa, & viribus adversariorum impares vel in fletus & questus erumpunt, vel probra jaciunt & convicia; totus is est in eo ut Basileenses Patres quasi schismaticos traducat, perditis ipsorum moribus obduratos iactitet, Ecclesiae velit osores,

quam-

quamvis Romani ipſi Pontifices, ſi Eugenium unum IV. exceperis, ab huiuſmodi dicteriis ſemper abſtinuerint. Cui vacat adeat hac in re Articulum VII. Diſſertationis VIII. Natalis Alexandri in Secul. XV. & XVI. Ne tamen & in hoc opera noſtra deſideretur, ad expendendam ſchiſmatis ideam progredimur, ex quo, ſpero, conſtabit eorum inſana audacia, qui ab unitate recedunt, & mutui amoris vincula diſrumpunt, cum, ut propriis faveant ſtudiis, vel ſuis ipſorum opinionibus obſecundent, alios iniurioſe nimium & iniuſte laceſſentes ſchiſmatis nota adurunt.

DE SCHISMATE DISSERTATIO.

SI omnibus idem omnino ſonaret vox Schiſma, ac quiſque, non ut illi prorſus arridet, ſed ex ipſius rei veritate mente conciperet nomine reſpondentem ideam, nullus in hanc arenam deſcenderem, mole enim ſua vel ruerent quae ex hac non probe ad intellectum relata voce identidem oboriuntur diſſidia, vel necdum enata interirent. Quantae tamen non artes nocendi in iſto nomine inventae ſunt a male feriatis hominibus? Immane quantum voce hac terrori compoſita iniquas ii rixas excitarunt mulierculaurm religionem ut patrocinarentur? Nimius profecto eſſem ſi, hiſtoria duce, tantum innuere vellem quoties privata ſtudia ea ipſa voce, veluti ſtricto gladio, ſaevierint, & quot quantaſque turbas exciverint: quid tamen noſtra refert ve-

te-

terum reprehendere flagitia, nisi ipsi quibus inficimur mala emendemus? Nunc etiam temporis, quando scilicet nulli non sibi plaudunt quod luce Philosophiae illustrati res omnes habeant probe perspectas, ea a plerisque loquendi ratio usurpatur, ut facile animadvertenti cuique innotescat, vel iam falsam in mentibus ideam de Schismate inolevisse, vel data opera quosdam homines, nullius avaros praeter vulgarem auram, studere hac voce ut invidiam conflent in eos, quorum cor sapit, quique si cum iis conferrentur, animos omnium ad sui nutum & sensum converterent quam facillime. Neque tamen mihi mens est hosce lateres lavare, neque fert animus cum illis congredi, qui conviciis impetunt quotquot verba non venditantes, rationum momentis eos aggrediuntur, quique disperire mallent quam ab iurata sententia recedere: quapropter mihi detur rem ipsam citra invidiam expendere, germanamque Schismatis notionem in medium afferre, ut si qui sunt praeiudicata opinione a vero abalienati, valeant ad meliorem mentem redire. Quoniam vero idea quam ipsa vox Schisma

re-

refert ab Unitatis *idea potissimum, meo quidem iudicio, pendet, ne gravetur quisquam me in ea explicanda nonnihil immorari, ita enim facilius arreptum illud iter emetiar, quod intendi.*

I. *Unam Ecclesiam esse, etsi ea variis multiplicibusque nationibus coalescat, non solum ex Scripturis docemur, quia* una *dicitur* Columba Dei, una speciosa *eius, ac praeterea* unus Dominus una Fides, unum Baptisma, *nec non* unus idemque Spiritus *qui fidelibus Gratiam impertitur, perinde ac una anima vitam corporeis membris, verum etiam semper futuros* sollicitos servare unitatem spiritus in vinculo pacis *monemur ab Apostolo; unus enim Ecclesiae gubernator & rector, invisibilis quidem, Christus existit, quem Pater* Caput *dedit esse super omnem Ecclesiam*, quae est corpus eius. *Hoc ipsum profecto Caput non modo repetitis vicibus tum verbis, tum exhortationibus admonuit ut nos membra eius in ipsius unitate arctissimo Charitatis vinculo copularemur, sed Patri etiam rem ipsam commendavit dicens:* Ioan. 17. Rogo ut omnes unum sint, sicut

ſicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint: *in quo, ut Cyprianus innuit* Lib. de Orat. Dom. *deſiderium rogantis Chriſti animadvertendum eſt*, ut hinc quoque poſſit intelligi quantum delinquat qui unitatem ſcindit & pacem. *Praeterea ipſum noſtrum Caput quaſdam veluti unitatis teſſeras dedit, quibus fideles inter ſe cohaerentes agnoſcerentur, omnes enim voluit una eademque doctrinae veritate imbutos, iiſdem munitos Sacramentis, nec non illi innixos Petrae, ſupra quam Eccleſiam ſuam aedificavit, ut* unanimes in domo Dei inabitaremus *quotquot vocati ſumus in agnitionem eius qui regnaturus in Iſdrael novit triticum, novit & paleas, & in eamdem ſpem ſumus adducti per ipſum. Is itaque in unitate manet qui non* argutus in ſemetipſo, *ſed ſimpliciter ambulans & fidenter videt* nunc per ſpeculum in aenigmate *quae cognoſcet alias quomodo ſunt; qui ex ipſis juſtitiae fontibus haurit unde ſitim extinguat, & unde propriam ipſius firmet imbecillitatem; qui immotus conſiſtit in* fundamento Apoſtolorum, *in*

ipso scilicet Angulari lapide Christo, qui facit utraque unum, *voluitque Petrum Primatum inter Apostolos gerere* ut una eius Ecclesia, una Cathedra monstraretur. *Cum una sit fides, ea utique ab omnibus eadem prorsus tenenda est, & quisque de Deo falsa pronuncians, sibique fidens* quod semper, quod ubique, quod ab omnibus receptum est *reicit*, fidem negavit, *atque* infideli deterior *falso suo dogmate unitatem violat cui haerere debebat Ecclesiam audiens, in qua una Veritas est; Cumque una pariter sit Ecclesia Agni coelestis Sponsa, quae, ut Cyprianus ait* Lib. de Unit; incorrupta & pudica unam domum novit, uniusque cubiculi sanctitatem casto pudore custodit, *quaeque omnes nos Christo peperit, lacte nutrivit, quivis iniquis dissensionibus a fraterna charitate dissilit, is profecto unitatem scindit, recedit a Matre, adulterae iungitur Schismatici nomine censendus, neque Ecclesiae catholicae haerens habebitur, uti Augustinus innuit* Lib. de Fide & Symb. Cap. 10. num. 21., *etsi* ea quae nos credimus ipse credat. *Hanc unitatem itaque*

ser-

servant Catholici tantum, nam haeretici sacrilego eorum dogmate fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpentes ab Ecclesia defecerunt, fontem aquae vivae *dereliquerunt, atque avulsi a radice non possunt quin arescant; ii quibus rite ac legitime* anathema *dictum est, cum tamquam* ethnici & publicani *a fidelium albo expuncti, donec a veterno quo premuntur resipiscant, in vite amplius non sunt; & Schismatici iniqua discessione facti infideles Christo, Ecclesiae foecunditate, ut pote fracti rami, non vigent. Quapropter* nec Haeretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, *ait Augustinus Lib. de Fid. & Symbol. Cap.* 10., quae diligit Deum, neque Shismatici quoniam diligit proximum; *utrique enim pro viribus inconsutilem Christi vestem dissuere conantur.*

II. *Hisce igitur unitatis ideam dilucidandi causa, atque ostendendi quibus rationibus ea prorsus scinditur, constitutis, ac posthabitis iis quae de haeresi dici possent, aeque ac de extorribus ab Ecclesia factis canonice ob graviora flagitia, nostram nunc spartam suscipimus, ideam scilicet Schismatis, uti superius in-*

innuimus expendendam. *Atque ut a nominis definitione nostra proficiscatur oratio*, *Schisma nihil aliud sibi velle debet Theologis quam* : = *Voluntaria alicuius*, *vel nonnullorum ab Ecclesia catholica discessio ea mente facta*, *ut coetum alium ii sibi constituant*, *cum nolint*, *opinione aliqua dissentientes*, *unitatem cum ceteris tenere* =. *Ut quis ergo merito Schismatici nomine traducatur I°. ut se ab aliis discernat est opus*: *ipse enim S. Thomas* 2. 2. *Q.* 39. *A.* 1. *ait* : Proprie Schismatici dicuntur qui propria sponte, & intentione ab unitate Ecclesiae se separant : *II°. ut alteri coetui extra catholicam Ecclesiam constituto studere arguatur*, *mendacique*, *non tamen adhuc damnatae*, *opinioni*, Schisma *namque S. Augustinus Lib.* 2. *contra Crescon. Cap.* 7. *asseverat* esse Recens Congregationis ex aliqua sententiarum diversitate discessio. *Ecclesiae vero unitas* in duobus maxime attenditur, *ait S. Thomas loc. sup. cit.*, scilicet in connexione membrorum ad invicem, seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum Caput. Hoc

autem caput est Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex; & ideo Schismatici dicuntur & illi qui canonice subesse renuunt Pontifici, & qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant. *Ne quis tamen putet ex quavis simultate, quae inter membra oriri possit, vel etiam nonnullas inter peculiares Ecclesias, Schisma statim exsurgat; vinculum enim quo constringimur vetat nos ab Universali Ecclesia recedere quae ex pluribus in toto orbe constitutis Ecclesiis sub uno capite coalescit, atque totius veritatis est radix. Id sane innuit S. Optatus Milevitanus cum Donatistas arguit, quosque idcirco Schismaticos esse ostendit quod ab Ecclesiarum totius orbis communione discessissent; namque* videndum est, *ait*, quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit; *ac S. Augustinus eosdem hoc argumento saepius urget, contendens ea potissimum de causa Donati partem Schismati manus victas dedisse, quod ab universali Ecclesia ea discreta, in Afris peculiarem coetum, vel si mavis Diaboli Synagogam coëgerit. Praeterea eaedem ipsae* pecu-

peculiares Ecclesiae nonnumquam, integra adhuc unitate, possunt a mutua ipsarum communione seiungi, cum utrisque pleraeque aliae Ecclesiae communicent, cumque Neutra, *uti Van-Espenius Tom.* III. *Par.* III *Tit.* IV. *animadvertit,* se a reliquis Ecclesiis universalitatem constituentibus seiungat; *& rudis omnino in historia Ecclesiastica habendus esset qui negaret nonnumquam, unitate catholica prorsus incolumi, aliquam posse intercedere divisionem inter peculiarem Ecclesiam, & ipsam Romanam, in qua unitatis centrum habetur. Irretortis utique oculis me quispiam hic adspectabit, auresque obtusas avebit ne me sibi blasphemum audiat: temperet is tamen nonnihil ab ira, neve me iniudicatum dimittat, nihil enim magis cavere ex animo studeo quam, ne dicam errorem, ipsam suspicionem erroris. Quam protuli sententiam, ipsa ex meis expressit labiis explorata veritas in celeberrimis Ecclesiae Asiaticae quaestionibus cum Victore de celebrando Paschate expendendis, nec non iis quas cum Stephano Romano Episcopo habuere Ecclesiae Africanae, Cypriano*

no

no duce; & quis in dubium revocare poterit tunc temporis hasce Ecclesias a Romana fuisse sua communione privatas, nec tamen idcirco ab universalis Ecclesiae unitate seiunctas? Omitto cetera ne sim nimius in referendis iis quae in medium possem afferre, quaeque iam satis innotuere iis, qui, despectis rivulis, ex ipsis fontibus amant probatissimam aquam haurire.

III. Mirum quidem in modum exempla rerum indubia conducunt veritati adstruendae, verum cum ea sit rationalis hominis natura ut quae rationi consona noverit, eo libentius & alacrius complectatur, abs re prorsus non erit iis quibus possum momentis adsertam iam veritatem firmare. Numquam profecto inficias ibo maximum unitatis argumentum semper fore cuicumque indicia communionis cum Romana Ecclesia exhibere, uti e contra non leve Schismatis argumentum futurum seiunctio ab eius unitate; attamen, licet ea Primatum prae ceteris teneat, veluti una peculiaris Ecclesia habenda est relate ad Ecclesiam Universalem, ad quam & ipsa pertinet cum

reliquis. Non ideo ea Catholica dicitur quia Romana, ſed quia communionem ſervat cum ceteris, ex quibus, veluti virentibus ramis, arbor exiſtit, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur. Apoſtolica quidem in ea Sedes eſt, verum & aliae Apoſtolicae ſunt appellandae utique & habendae; in fundamento *enim* Apoſtolorum *& ipſae conſiſtunt, & perpetua Eccleſiae traditio docet cum Cypriano Epiſt.* 42. Unitatem a Domino, & per Apoſtolos *Epiſcopis* ſucceſſoribus *fuiſſe* traditam. *Sicuti ergo, ut in Concilio Chartaginenſi, cui praeerat Cyprianus Clarus a Maſcula, Sancitum fuit credendum, Epiſcopos* Apoſtolis ſucceſſiſſe eadem qua ipſi poteſtate Eccleſiam gubernantes, *pro certo itidem habendum quod Cyprianus ait Epiſt.* 27. *Scilicet quod ex quo Chriſtus ſupra Petram Eccleſiam ſuam voluit fundatam* inde per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiae ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiae per eoſdem Praepoſitos gubernetur; id enim divina lege funda-

tum. *Praeterea ipſemet Cyprianus* de unitate Eccleſiae *diſſerens cum in Eccleſia Epiſcopatum unum, atque indiviſum aſſeveret dicens:* Epiſcopatus unus eſt, cuius a ſingulis in ſolidum pars tenetur, *profecto arguitur unumquemque Epiſcopum in ſua Eccleſia principium eſſe unitatis, eique ab omnibus obtemperari oportere, dummodo in fide maneat, ac cum aliis Epiſcopis Eccleſiae Catholicae communicet. Ii dant itaque manus victas Schiſmati qui a ſuo unitatis principio ſe removent, quique alteri adhaerent, omnia enim ſecundum ordinem fieri debere monuit Apoſtolos.*

IV. *Ultro fortaſſe quiſpiam hic me compellabit an Schiſma quis vitare poſſit etſi a proprio Epiſcopo ex ſe ſeiunctus, communione tamen adhaerens Romano Antiſti, qui in catholico orbe Primatum tenet, ac penes quem unitatis centrum exiſtere docet Eccleſia. Huic uni tabulae confiſi permulti Haeretici ſtuduerunt utique primis Eccleſiae temporibus ſibi minus, quam chriſtiano orbi fucum facere, communionis teſſeras a Sede Petri ſurripientes, uti Athanaſii aetate ea infanda mon-*

ſtra.

ſtra, quae Arii partibus ſtudebant, nec procedente tempore defuere, qui perſonati Schiſmaticorum notam vitare hac arte curarunt, externi in dolum compoſiti, & charitatis & obſequii forinſecus habitu induti, ut minus cautos ſeducerent. Romani itaque Epiſcopi docti nil ita ſanctum quod humana malitia non contendat violare, ut fallacias improborum hominum ipſi fallerent, nullum in ſui communionem recipere conſtituerunt, niſi ſui ipſius Epiſcopi donatum litteris, quibus veluti indubiis ſignis certiores fierent commendatum fide, & ſpiritu unitatis ſuae principio canonice prorſus adhaerere. Mentiuntur ergo, ac ſibi ipſi profecto illudunt qui ad incitas per proprium malum ſenſum redacti, aſyli jura in Romana Sede conquirunt, qui ut Bernardus ait: Poſita eſt jus unicuique ſuum ſervare non invidere; *nam cum & ea veluti una particularis Eccleſia habenda ſit relate ad univerſalem Eccleſiam, ut ſuperius innuimus, hinc fit quod non manet in unitate, qui a proprio Epiſcopo recedit, etſi cum quovis alio putet Eccleſiaſticae communionis vincula indiviſa ſervare.* Inde

Schiſ-

Schiſmata & haereſes obortae ſunt, *ait S. Cyprianus Epiſt.* 69. *ad Florentinum Pupianum conſcripta de obtrectatoribus*, & oriuntur adhuc, dum Epiſcopus qui unus eſt, & Eccleſiae praeeſt, ſuperba quorumdam praeſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiae tumor, quae arrogantia animi, quae mentis inflatio ad cognitionem ſuam praepoſitos & ſacerdotes vocare, ac niſi apud te purgati fuerimus, & ſententia tua abſoluti, ecce jam ſex annis nec fraternitas habuerit Epiſcopum, nec plebs praepoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec Deus Sacerdotem? . . . . Scire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe, & fruſtra ſibi blandiri eos qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt, quando Eccleſia, quae Catholica & una eſt, ſciſſa non ſit, neque diviſa, ſed ſit utique connexa, &

choae-

cohaerentium ſibi invicem Sacerdotum glutino copulata. *Utinam haec S. Martyris verba, quibus Sanctorum omnium Patrum teſtimonia reſpondent, alte inſiderent animo fidelis cuiuſque, tunc enim nec quiſque ſuo lubito ſibi effingeret unitatis ideam & Schiſmatis, nec tam facile Epiſcopatus privatae cognitionis auctoritati, uti noſtro hoc tempore, firmandus tribueretur.* Cum ſingulis Paſtoribus *itaque, ut cum Cypriano loquar Epiſt. 55. ad Cornelium, a Domino* portio gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus, oportet utique eos quibus praeſumus non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohaerentem ſua ſubdola & fallaci temeritate collidere, *unitatem profecto ſcindere dicendi ſunt, qui ab ipſius unitatis principio, proprio ſcilicet Epicopo, ſe ſeparant, etſi Romano ipſi Pontifici, vel cuivis alteri, quoquo modo putent haerere. Hierarchice utique regitur non Monarchice Eccleſia Catholica, atque idcirco, ut ſancte riteque ea ordinis oeconomia, quam Chriſtus ipſe conſtituit, omnino ſervetur, oves cuique legi-*

 timo

timo Pastori commissae oblata pascua recusare non debent, ni velint uti morbidae ab ovili reici, & tamquam alienae depelli, aeterna fame laboraturae, ni Pastoris voci & virgae paruerint. Cum divinum audis Romani Pontificis Primatum, centrum Unitatis audis, adeoque tibi credendum corde, & ore etiam confitendum nostrum invisibile Caput Christum Petro contulisse munus confirmandi Fratres in fide, quos tamen ipse elegerat ut proprio jure, collataque eis potestate irent, & fructum afferrent. Ex hoc ergo Petri munere colligis quod eius est labantem fide erigere, a matre alienum revocare, devium etiam corripere, fratres de errante certiores facere, ac postremo etiam, adhibito Ecclesiarum consilio, perditum fratrem a propria Sede pronunciare deiectum, atque uti mercenarium a curandis ovibus amovere. Dixi adhibito Ecclesiarum consilio, nam cum unitas ex universorum charitate & fide coalescat, & Episcopus quisque debeat cum fratribus catholicam communionem servare, necesse est ut qui Petri cathedram tenet coëpiscopos certiores faciat de

cri-

crimine quo a matre devius is arguitur, cui ex praecepto Dominico unitate debent copulari. Ignarus profecto totius antiquitatis habendus esset, ac censendus numquam vidisse Patrum opera, vel Ecclesiasticam Historiam perlustrasse, qui haec revocaret in dubium: quapropter ne in re certa diutius immorer & Patrum scita, & historiae monumenta proferens, ad alia non minoris momenti discutienda progredior.

V. Si de Ecclesiae regimine eadem semper sensissent homines, ac nisi eo infando tempore, ipso scilicet octavo seculo, in quo nil nemo valebat addiscere nisi veritatis ignorantiam, viri gloriae & auri percupidi magni venditassent commenta & fabulas, ipsique Romani Episcopi utraque manu essent amplexi quae videbant ipsorum rebus opitulari, antiquus Ecclesiae splendor vigeret adhuc, nullae ortae essent de Principatu contentiones, sarta tecta haberentur antiquorum Patrum Statuta, & si qua dissidia interdum ex hominum malitia caput attolerent, brevi sancitorum canonum auctoritate sublata evanescerent. Ex quo tamen Romae canonum loco habetur men-

da-

dacissimi Mercatoris collectio, quamvis undique propudiose exsibilata, atque ibi nefas ab ea transversum digitum, aut latum ungem recedere putatur, hinc factum novimus Pontifices ea omnia sibi iura vindicasse quae universae Ecclesiae Christus donarat, ac sententiae in dies adeo abnormes emersere, ut plerumque idem nunc plurimis sonet Pontifex, & Ecclesia. Inde illae voces antiquitus ignoratae prolataeque contra scripturarum sensum: Papa omnia potest: Cum is loquitur veritas ipsa loquitur: Illi caece parendum: is est infallibilitate donatus: Ipsi acceptam referre debent Episcopi auctoritatem qua pollent: Is unus Ecclesiae magister & Rector: Per illum unum ad vitam donatur aditus, *ac sexcentae aliae, quas nec ipsi credentes, effutire coacti sunt ut quoque modo potioribus momentis rationum respondere viderentur Baronii asseclae, Bellarminii, atque eorum omnium huiusce farinae virorum, quibus cordi fuit atque etiam nunc est vel primos honores ita cauponari, vel pauperum spoliis hac una ratione ditari. Non sine lacrumis ea pro-*

fecto

fecto mecum ipse reputo cum praecipue video Romanos Pontifices istorum dolis irretitos de Ecclesiastica Monarchia certare tamquam de ara, id quod dissidentes fratres magis urget, atque obdurat. Utinam dies aliquando illucescat; inter Fidei doctrinam & Scholarum opiniones naturale discrimen aperiatur; quae divini juris sunt, quaeque humani una simul non copulentur, atque ex ipsa Petri cathedra rursus audiatur quod Pelagius secundus ad Episcopos Istriae quondam scripsit C. 19. specialis Synodalium Conciliorum caussa est fides, quidquid ergo praeter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudicium revocetur, *namque ut Tertullianus De Virgin. Vel. C.* 1. *ait*: Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis; atque hac lege fidei manente, cetera iam disciplinae & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet, & proficiente usque in finem Gratia Dei: *id quod confirmatur etiam luculentissimo Augustini Testimonio, qui L.* 1. *Cap.* 3. *de Bapt. asseverat*: Ipsa

plenaria (*Concilia*) Saepe priora a posterioribus emendantur, quum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typo sacrilegae Superbiae, sine ulla inflatae cervice ignorantiae, sine ulla contentione lividae invidiae, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana. *Si ergo quae praeter fidem a Conciliis Sancita sunt emendationi sunt obnoxia, quid non Romae retractari poterunt tot tantaque gesta, quae vel ex ignorantia facti prodiere, vel privatis ex studiis, quaeque utpote invalido fundamento substructa fatiscunt & corruunt? Hoc uno pax undique redintegraretur, ac quisque intra fines quos Christus ipse constituit degens, ea brevi sublata videremus dissidia, ex quibus tot tantaeque in dies contentiones oriuntur inter fideles, ut vix unitas integra servetur & firma. Tunc malignantium ora obstruerentur, ac si quis non antea exisset ab Ecclesia, vel si non ita egisset, ut mereretur canonice ab ea repelli, numquam diceretur Schismati studuisse, etsi seclusus non*

recte

recto hominum iudicio extrinsecus appareret. Praestat hic huiusmodi veritatem enucleare, ut eo magis ipsa pateat, atque ea penitus comperta ac probe explorata, tandem aliquando qui data opera mentiuntur obmutescant, quique ex praeiudicatis opinionibus consuevere loqui, intimo conscientiae sensu convicti, ultro falsos fuisse minime renuant profiteri.

VI. *Nullum ab Ecclesia reici posse iniudicatum, illumque tantum habendum esse ab ea extorrem qui canonice monitus, ac rite constituto examine iudicatus fuerit, repertusque pertinax, nemo prorsus inficias ierit, qui Conciliorum in hac re sancitos canones viderit, vel leges ipsas naturae, omniumque gentium concordem sententiam expenderit. Praeterea accedit quod cum omnium maxima poena sit spiritus vita privari, atque a matris ubere abstrahi, hinc fit quod non tantum maxima scelera hac ipsa poena sunt coercenda, verum etiam quodvis faciendum est periculum antequam excommunicationis in quempiam feratur sententia, vel quis Schismatici nota aduratur, ne in id incidatur mali, quod cavendum Origenes*

monuit, quod scilicet foras ille mittatur qui intus sit, & ille foris sit qui intus retineri videtur. *Longius aequo mea sane protraheretur oratio si tantum innuere vellem incommoda quae Ecclesiam, malo rerum fato, affecere ex iniquis sententiis, quae nullo jure latae interdum fuerunt, nulloque adhibito Ecclesiarum Consilio, immo eo tantum instituto examine quo non veritas, sed privatum studium, sed impotens dominatus, sed auri sacra fames pateret, atque ea cuique cultu digna, & honore paene divino putanda exhiberetur. Quidquid prolatum Romae, incomperto quodam jure postulatur ut demissis auriculis quisque suo ipse calculo comprobet, detque manus victas, iniquo Theta notandus, quoties vel alicuius cunctationis arguatur. Non utique in dubium revoco maximi facienda esse ea Pontificum decreta, quibus ii pro officio promunt ex communi traditione communem Ecclesiarum fidem; quomodo tamen in eorum Syllabo computanda erunt, quae nullo Consilio lata sunt, quae nihil in fide versantur, quae tantum Ecclesiasticae Hierarchiae iura, contra omne fas,*
vin-

vindicanda uni Romano Episcopo expostulant? Rationabile obsequium *nostrum erga Deum ipsum futurum monuit Apostolus; quid non* rationabile *igitur etiam erga Romanum Pontificem? Si Cypriano, ut innumeros alios praeteream, vertere vitio nemo, nisi inique, auderet, quod in maxima Causa Fidei a Stephano dissenserit, ac noluerit, etsi errore seductus, veritati dare manus victas, nisi audita Ecclesia, quis adeo impudens atque excors, qui in re satis aperta, cum disceptatur de iure, Schismaticum appellet contendentem ipsum Petri successorem coërceri debere canonum viribus; ad trutinam revocari posse eius decreta; ab universa Ecclesia posse cogi, ut quae inconsulto, ac praeter rationem protulit, revocet atque irritet? Ex iis profecto colligitur immane quantum ab iustitia recedant qui Schismatis reos agunt illos, qui Concilium appellant Iudicem in causa Pontificii alicuius decreti, nam si idem sonat Schisma ac recessio ab Ecclesia, quomodo ab ea dicendus recessisse, qui immo ipsi actu haeret, atque efflagitat ab illa de se ferri sententiam? Is ab inferiori judice ad su-*

periorem provocat; atque hac ipsa provocatione satis ostendit suae potestatis nihil demere ab inferiori, quamvis superius noscat Tribunal ad quod provocavit, nihilque tam alienum a Schismate perpetrare potuit, quam solemniori actu profiteri Catholicae Ecclesiae irreformabile iudicium, cui quidem corde haerens, atque ab eius ore nutuque pendens cum iis omnibus communicare studet, ex quibus universa Ecclesia coalescit, quam appellavit. Non me quidem fugit sequioribus Ecclesiae seculis scholasticos, utplurimum rerum vacuos, nominibus tamen etsi barbaris foecundissimos, ut mentibus tenebras offunderent, invexisse in Scholas duplicem Schismatis ideam, contendentes illos active habendos Schismaticos qui ab Ecclesia se removent, ea de causa ut peculiarem sibi Ecclesiam constituant, quemadmodum olim Donatistae, passive autem eos qui quavis ratione reiecti a Communione, in unitate consistere non sunt censendi. Non is ego sum qui nunc velim expendere num secus an rite facta putanda sit huiusmodi distinctio, & lubens Schismati passive obnoxios illos dicam qui quacumque haeresi imbuti, atque errore convicti, obstina-

na-

natiore voluntate persistunt, aeque ac qui ob perpetratum scelus ab Ecclesia reici meruere, quamquam alteros Haereticos lubentius appellarem, alteros sacris interdictos; nollem attamen malitiosos homines hac voce abuti causa decipiendi ignaros, iisque fucum faciendi, servandique sibi effugium, si quando contigerit quod rem habeant cum viro nec ignaro, nec vocibus tam facile obsequenti. Novi ingenium Eristicorum, quibus maxime cordi sunt argutiae, atque omne eorum studium in eo versatur, ut sermonis vires devitent, putidam aliquam distinctionem effutientes, vel quampiam incompositam vocem; quapropter nemo mihi vitio vertat si expertus, rem maturius videor expendere, neque tam cito alienae fidei acquiescere.

VII. *Huiusmodi distinctioni devotos ut plurimum illos video, qui facilius in Ecclesiastico jure peccant, quique ut frigidam Romanae curiae suffundant Schismaticos eos appellant qui Monarchicum jus negant in Cathedra Petri inesse, contenduntque Pontificem nec infallibilitate donatum esse, neque ejus iudicium irre-*

for-

formabile, *immo ipſum Univerſae Eccleſiae iuris vindicem primum debere ſe oſtendere*, *ac Conciliorum ſanctiones toti mundo ſartas tectas ſervandas praebere*. *Si* paſſivum *igitur Schiſma ſomniarunt ii ut hoſce homines apertiſſima calumnia impeterent*, *eliminandam prorſus futilem hanc diſtinctionem pronuncio*. *Quid iniquius enim quam nigra hac nota inurere viros omni utique calculo probatos*, *ac prae ceteris Eccleſiae addictos? Novi jam quo Sychophantae rem adducere conentur*, *ut ſcilicet meticuloſis timorem incutiant*, *ut vitae integris*, *ſceleriſque puris quovis modo tentent officere*, *ut veritas*, *quae ipſorum pudenda revelat*, *a mundo abiciatur*, *atque infanda ea ſecula iterum revocentur*, *in quibus ex ignorantiae tenebris monſtra tantum & errores exſurgunt*. *Ipſis ineſt animo illos veluti reos agere qui tot fabellas exſibilant*, *qui Ieſuitarum dolos patere jubent in recantata illa atque efficta haereſi*, *cuius gratia bonum quemque vexatum novimus*, *beatamque Eccleſiae pacem ſublatam duobus hiſce poſtremis ſeculis*; *qui ab Eccleſia diſcretos negant tot Epiſcopos etſi minus*

cau-

caute, nec recto iudicio diris immane prorsus devotos, quique uberibus certe lacrumis deflent viros, omni sane numero absolutos, in ipsa Roma Schismati obnoxios praedicari, atque etsi nullo canonico iudicio damnatos, tamquam ethnicos propelli. Nulli non constat quae quantaque perpessa sit Catholica Ecclesia Foederati Belgii ex quo Iesuitarum invidia atque impotens audacia ipsum Acheronta in illam movere studuit; quibus & quantis rationibus ea pietatem & pacem ab ipsa Petri Cathedra eflagitavit; quos quantosque viros compellavit, ut illi quomodocumque opem ferrent, & a Romano Pontifice iusta ipsius causa exaudiretur; & omnes pariter norunt ipsos illius libellos supplices non modo nihili factos, verum etiam damnatos, totidem veluti haereses, ac blasphemias. In comperto itidem est in Ecclesiam illam immane saevitum fuisse ea de causa quod legitimis eius Pastoribus cordi fuit, uti & nunc est, antiquos ipsorum mores, Episcopatus iura, leges, Conciliorum sancita servare; & quoniam ex jam editis ipsorum atque alio-

liorum scriptis luculentissimis ambages omnes & malignantium doli detecti fuere, in ius iterum iterumque vocantur, arguunturque Ianseniana haeresi, spectro illo scilicet ac phantasmate, quo malitiosi homines tot Pontificum pietatem ac fidem decipere sunt aggressi, ac cuiusque boni integritatem minuere, ac commaculare studuerunt.

Nostrum hic non est iam coctum recoquere, & longius forte quam par erat nostra iam profluxit oratio. Vela itaque colligere monet utique tempus, nec non instituti nostri ratio, qua Schismatis ideam, non aeque omnibus probe perspectam, aperire contendimus. Veritatis osores, quique tenebras amant irretortis quidem oculis me prospicient, auguror; nihil tamen mea intererit quidvis in me jaciant probri, cum ipsorum noverim mores, & ingenium. Si veritate detecta me errasse ostenderint, ultro ipse profitebor errores, eruntque mihi velut alteri Dii; pertinaciae spero non arguar: si me vero maledictis impetiverint, vel propudiose, ut adsolent, conviciis contumelisque prosciderint

rint, numquam eos tanti faciam ut animi quietem, atque hilaritatem vultus amittam, doctus a Philemone in Ecdicazomeno apud Stobeum Sermone 19. *quod*

Ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον
Ἔστ', ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν·
Ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
Μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται.

TRACTATUS

Almae Universitatis Cracoviensis super auctoritate Sacrorum generalium Conciliorum Universalem Ecclesiam repraesentantium, adhaesionem per ipsam Universitatem factam Sacro Basileensi Concilio, & Sanctissimo Domino Nostro FELICI PAPAE V. *continens. Incipit ut sequitur.*

REverendissimo in Christo Patri Domino Nostro Episcopo Cracoviensi, Almae Universitatis studii Cracoviensis Cancellario dignissimo, Rector, Doctores, & Magistri Universitatis ejusdem devotas in Domino Orationes.

Deliberantibus nobis quid super instanti requisitione clarissimorum virorum, videlicet Marci Bomfilii Sacrae Paginae Interp., Praepositi Tridentinensis, & Canonici Cracoviensis in Artibus liberalibus Magistrorum Interpp. Decretorum Doctoris Archidiaconi Cracoviensis & nobilis Guillelmi de Barina Sacrosanctae Generalis Synodi Basileensis in Spiritu Sancto legitime congregatae Universa-

 lem

lem Ecclesiam repraesentantis, & Sanctissimi Domini Felicis Papae V. Oratorum, & Nuntiorum responsuri sumus: Verbum illud Propheticum: *Erraverunt ab utero, locuti sunt falsa* in primis nostrae considerationi occurrit. Et quidem Sancti Doctores duobus modis exponunt, aliquos errare ab utero Sanctae Matris Ecclesiae, quae sola genitos regenerat ad vitam, & ita demum prolabi ad falsa, aut quia nec concipiuntur in utero ejus, nec nascuntur ex ea per Fidei susceptionem, aut si fidei Sacramentum susceperunt, scelestis tamen operibus degeneres effecti ab Unitate ipsius dividuntur; quemadmodum enim carnalis Mater in carnali sobole certas vicissitudines observat, & tempora, quoniam puer primo in utero nascitur, & alitur, demum in lucem hanc vitæ praesentis emissus matris manibus ut crescat gestatur, ut tandem ablactatus ad mensam patris accedat solidiore nutriendus cibo; in hunc quoque morem quos Sancta educat Ecclesia prius quasi in ejus concipiuntur
utero,

utero, dum rudimenta Fidei Chriſtianae in Catechiſmo, & Exorciſmo, & deinde per Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum perceptionem quaſi ad lucem jam in eis formata virtute generantur; tandem quaſi manibus bajulantur Eccleſiae, & lacte nutriuntur dum ſimpliciori, & feliciori doctrina imbuuntur, donec a lacte ſimplicis ſenſus abſtracti, accedant ad menſam Patris, ut ſic valido, & grandium cibo veſcantur, pane videlicet Angelorum, ex quo ſi quis manducaverit vivet in aeternum, erudianturque cibo ſanae doctrinae, ne aberrare videantur ab utero Matris ſuae, & ad falſa prolabi, deſerto tramite veritatis, quae iuxta ſententiam Beati Gregorii (in Moralibus haec ponuntur verba XXIIII. q. 1.) Quia ex ſola Eccleſia Catholica conſpicitur, ideo merito falſa loqui dicitur quiſquis ab ejus utero errat, & alienatur, & nedum errare quis ab utero falſa loquendo dicitur, ſed & ubi neceſſitatis emergit articulus, in quo Fidem expreſſe confiteri oporteat, ſi tegatur

veritas ipſa ſilentio, occaſione cujus in errorem qui erudiri poterant pertrahuntur; unde Gregorius in II. ſui Paſtoralis: *Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium eos qui erudiri poterant in errore derelinquit*. Veritas quippe praetermitti non dicitur, quando aliqua res vera tacetur, ſed quando veritati illi praeiudicium generatur, quod quidem accidere poteſt vel ex doctrina contraria, vel ex aliquorum taciturnitate, inquit Beatus Thomas in Scripto IIII. D. XXXVIII. in ſumptione articuli tertii q. illius, *Utrum veritas propter ſcandala ſit dimittenda*; utroque enim caſu ipſi veritati derogatur, & infirmi, & debiles ſcandalizantur; quorum utrumque mortale eſt aedificans ad gehennam. Ne igitur, Reverendiſſime Pater, requiſitionem a nobis factam praeterire videamur ſilentio, ſicque errare, quod abſit, ab utero Matris Eccleſiae, cum parati eſſe debeamus vocem reddere omni poſcenti de ea quae in nobis eſt fide, cenſuimus poſtulantibus morem gerere,

gerere, ut ediſſeramus pro poſſe veritatem circa auctoritatem Univerſalis Eccleſiae, & Concilii Generalis ipſam pro tempore repraeſentantis, ac electionem novi Summi Pontificis Domini Felicis Papae Quinti, ut appareat quid & nos ipſi de iis ſentire videamur, quatenus innixi ſtabili & inobliquabili fundamento, quid de conſequentibus ſentiendum ſit cunctis in Chriſtum Dominum credentibus liquida ratione oſtendamus. Sed antequam deſcendamus mare in navibus, facientes operationem in aquis multis de Navicula Petri, invocandus eſt nobis primo Pater omnium, qui ipſam Eccleſiam, de qua nobis loquendum occurrit, Filio ſuo per Incarnationis myſterium copulavit; invocandus eſt nobis & Chriſtus Dominus ſponſus ejus, qui cum ipſa uſque ad finem ſaeculi pollicitus eſt ſe manſurum; invocandus eſt & ipſe Spiritus Sanctus, qui ipſam docet omnem veritatem, quatenus ipſo inſpirante nil aliud quam quod ut ipſe efflagitat ex Scripturis Sanctis, id ipſis rebus, de quibus agen-

dum eſt, verum teſtimonium proferamus.

Ut autem diſtinctius determinatiuſve proſequamur propoſitum, cum de Eccleſia nobis nunc ſit ſermo habendus, opus eſſet diſtinguere Eccleſiam in membra, & in partes ſuas, quae a Sanctis poſitae ſunt, & diſtinctae. Sed cum haec diviſio Eccleſiae apud tractatores Catholicos notiſſima ſit, cenſuimus pro compendio omittere. Non eſt itaque nobis ſermo habendus de Eccleſia materiali, de qua dicebat Propheta: *in Eccleſiis benedicam te Domine*, & ipſe Paulus ad Cor. xi. *Numquid non habetis domos ad manducandum, aut Eccleſiam Dei contemnitis*, ſed potius de ſpirituali non malignantium, de qua ſcriptum eſt: *Odivi Eccleſiam malignantium*, quae corpus eſt Sathanae, & ipſe eius caput, iuxta ſententiam beati Gregorii lib. XIX. Moralium Cap. vi. quam beatus Auguſtinus in proceſſu Libri de Civitate Dei vocat Civitatem Mundi; ſed de Eccleſia ſpirituali Fidelium, quae eſt domus Dei, de qua dictum eſt ore prophetico: *Domine*

mine dilexi decorem domus tuae, & non particulari, ſed de Eccleſia univerſali; non quidem de Eccleſia praedeſtinatorum, quae eſt multitudo omnium ſalvatorum, & ſalvandorum, de qua dicit beatus Auguſt. ſuper Ioannem dicens: *Quae autem peperit Abel, Noe, & Enoch, & Abraham, ipſa peperit & Moyſen, & Prophetas tempore poſteriores ante adventum Domini, & quae iſtos, ipſa & Apoſtolos, & Martyres, & omnes bonos Chriſtianos; omnes enim peperit qui diverſis temporibus nati apparuerunt, ſed ſocietate unius Populi continentur, & ejusdem Civitatis cives labores huius peregrinationis experti ſunt, & quidam eorum nunc experiuntur, & uſque in finem ceteri experientur* (ponuntur verba XXXII. q. IIII. Recurrat); ſed de Eccleſia univerſali militante vera vel repraeſentativa; vera, inquam, quae eſt congregatio omnium Chriſtianorum continens in ſe omnes Fideles bonos, & malos, quae Virginibus prudentibus, & fatuis comparatur, & ſagenae miſſae

in mare; & haec eſt multitudo omnium baptizatorum, credulitatem Fidei habentium, & communionem in Sacramentis, cujus Eccleſiae confeſſio in ſymbolo continetur ibi: *Sanctam Eccleſiam Catholicam*; repraeſentativa, inquam, quae eſt, vel eſſe ſolet in Concilio Generali in Spiritu Sancto legitime congregato, ipſam repraeſentante. Sed cum noſtri ſit propoſiti haec diſſerere, antequam ad alia procedatur, inquirendum eſt de Eſſentia Eccleſiae ſpiritualis militantis, quid ſit, ut facilior ſit ad dicenda proceſſus. Eſt igitur Eccleſia Corpus myſticum, organicum, Fide Chriſti animatum; primo Corpus ponitur pro genere; additur organicum, ideſt habens organa, quia, ſecundum Apoſtolum, ſicut in uno corpore naturali multa membra habentur, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi ſumus unum corpus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, & ſicut unum membrum ſervit ſibi, & toti corpori, ſic in Eccleſia militante diverſi in diverſis ſtatibus, & Offi-

officiis ſibi, & aliis in Eccleſia ſubminiſtrant; additur myſticum, quia ſecundum Apoſtolum, ſicut corpus unum eſt, & multa membra habet, omnia autem membra corporis cum ſint multa unum corpus ſunt, ita & omnes nos, qui in Chriſto baptizati ſumus unum corpus conſtituimus Eccleſiae, Paul. ad Cor. XII.; additur, Fide Chriſti animatum, quia ſicut anima corpus, ſic Fides animam vivificat, dicente Scriptura: *Juſtus ex Fide vivit*, ex quo fit quod omnes baptizati habentes Fidem Chriſti ſive informem, ſive formatam conſtituunt Eccleſiam militantem, ſicut ſcriptum eſt ad Epheſios IIII. *Unum Corpus, unus Spiritus, unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*, intelligendo cauſaliter, videlicet, quod Eccleſia eſt unum Corpus propter unum Spiritum, unum Dominum, unam Fidem, & unum Baptiſma. Item ex hoc ſequitur, quod nulli haeretici ſunt in Eccleſia militante, vel pars Eccleſiae militantis, ſed ſunt in Eccleſia malignante, & pars ejuſdem; patet ex hoc,

quia

quia haeretici non ſunt Fide Chriſti animati. Hanc autem Eccleſiam fundat appropriate Gratia gratum faciens, quæ quidem Gratia eſt diſpoſitio in creatura rationali a Deo infuſa, quae per modum formae inexiſtens rationali creaturae facit eam gratam Deo, ſive in beatitudine, ſive ad beatitudinem, quoniam quaedam eſt Gratia gratum faciens in eſſe beatum, ſicut in Patria, alia ad eſſe beatum, ſicut in via; prima Gratia in Patria eſt ipſamet beatitudo formalis, quae beatitudo per modum formae eſt beatificatio, & totalis conſummata creaturae rationalis deificatio; ſecunda Gratia in via eſt beatitudo formalis hic in via non conſummata, ſed inchoata, de qua loquitur Salvator Matthaei V. Beati pauperes ſpiritu &c. & haec Gratia in quocumque viatore ſive praedeſtinato, ſive praeſcito eſt mirae dignitatis. Nam licet libertas mentis creatae, ſive voluntas ejus libera ſit magnae dignitatis, naturalis gratia tamen in via longe excedit libertatem voluntatis, & liberam voluntatem, quoniam

niam illa libertas in malo homine non ſufficit eum liberare a morte perpetua & inducere ad vitam aeternam, ſed minima Gratia gratum faciens, dum in termino viationis creaturae rationali inexiſtit, liberat a morte perpetua, & perducit ad vitam aeternam; & pro quocumque tempore viatori ſive praeſcito, ſive praedeſtinato inexiſtit, facit eum protinus carum, & gratum Deo, bonum, & juſtum, & Filium Dei, & ſic membrum Corporis Myſtici; omnis enim ſive praeſcitus, ſive praedeſtinatus inexiſtens in gratia eſt membrum vivum Eccleſiae militantis, & ex hoc iſta Gratia gratum faciens fundat Eccleſiam univerſalem militantem; ſed non ſolum ex hoc, quod ſoli in gratia exiſtentes ſint in Eccleſia militante, cum & mali carentes iſta gratia, fide Chriſti dumtaxat animati, ſunt etiam membra, ſed arida Eccleſiae militantis, & per conſequens ſunt in Eccleſia militante. Sicut enim homo habens duas manus, unam aridam non ſuſcipientem influxum a capite, aliam

vivam influxus capacem, dicitur habere duas manus, sic omnis Christianus habens Fidem informem est membrum Ecclesiae militantis, non suscipiens influxum vitae a Capite Christo. Hinc est quod beatus Augustinus contra Donatistas dicit. *Si cujus manus est arida, verum quidem est membrum, quamvis sine sanguine sit inefficax, & mortuum, sic & fides cum sit vera, tamen sine operibus mortua est*, (habentur verba l. q. 1. sicut urgeri.) Est enim triplex vinculum, quo aliqui Christo tanquam Capiti in Ecclesia militante colligantur, scilicet Fides, Spes, & Charitas. Et si Charitas, si etiam & Spes in aliquo membro deficiant, Fide remanente, illud membrum quamvis mortificatum, adhuc tamen Corpori Ecclesiae, & Capiti per talem fidem utrinque est mystice colligatum; si autem fides in aliquo deficiat, ut in haeretico, mox vinculum illius membri ad Corpus Ecclesiae, & Caput mysticum penitus tollitur, & destruitur. Hanc igitur Ecclesiam militantem, sicut praemittitur, continen-

tem

tem bonos, & malos necesse est ponere, cum de ea Scriptura Prophetica, & Evangelistica expresse loquatur, quæ Virginibus prudentibus, & fatuis comparatur Matth. XXV., super quo dicit beatus Gregorius in Homelia: *Sancta quippe Ecclesia decem Virginibus similis esse denunciatur, in qua quia mali cum bonis, & electi cum reprobis sunt admixti, recte similis Virginibus prudentibus, & fautis esse perhibetur*. Item comparatur arcae, unde dicit beatus Aug. de Fide ad Petrum Cap. XIIII. *Firmissime tene, & nullatenus dubites arcam Dei esse Ecclesiam, & in ea usque ad finem saeculi frumento paleas commixtas contineri*, & infra: *in fine vero saeculi bonos a malis etiam cum corpore separandos, quando veniet Christus habens Ventilabrum in manu sua, & mundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inestinguibili*. Ad idem est Chrysostomus super illo: *Collegerunt bonos in vasa sua* Math. XIII. sic dicens, *Ecclesia media est inter*

ter coelum, quod eſt locus tantum bonorum, & infernum, qui eſt locus tantum malorum: ipſa vero Eccleſia media eſt, quia indifferenter bonos & malos colligit, quod ſignificatum eſt in Arca, ubi animalia mitia ſunt cum immitibus, in qua quidem Eccleſia iuxta Catholicam doctrinam homines dupliciter dicuntur eſſe, quidam numero tantum non recipientes influxum a Chriſto Capite, alii, numero, & merito omnium bonorum ſpiritualium a Chriſto Capite fluentium, tanquam membra viva participes, & capaces, quam participationem Propheta optabat dicens: *Participem me fac Deus omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*, quae quidem Eccleſia etſi in ſe contineat malos, non ideo hoc de ea eſt ſentiendum, quod Sancta dici non debeat, aut poſſit; Sancta enim dicitur & immaculata ſine macula, & ruga iuxta doctrinam Apoſtoli ad Epheſios v. dicentis: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret mundans eam la-*

vacro

vacro aeque in Verbo Vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata, propter quod Beda super Canticum dicit: *Semper Ecclesia casta est fide, munda opere, semper lucens, & fervens charitate, & quidquid pravitatis, aut immunditiae eam attigerit, numquam illud suscipit, nunquam in illud consentit, sed corrigit, aut punit, aut exterminat; nam Ecclesiae omnes nequitiae extraneae sunt, quas aut cupit remittere, aut omni conatu expurgare, aut contra eas saevit, & procedit usque ad excisionem*, haec Beda. Unde sicut corpus materiale animale requirit de necessitate ad sui essentiam materiam, & formam, secundum quod partes materiales continue variantur manens idem secundum formam, ut dicit philosophus in Primo de generatione, sic Ecclesia Sancta militans cum sit corpus misticum fide Christi animatum de necessitate debet habere aliquid pro materia, & aliquid pro for-

ma

ma, ſed cum perſonae hominum quaſi partes per accidens, & materiales eſſe continue fluant, & defluant ſibi invicem ſuccedentes, ſecundum quas Eccleſia continue variari neceſſe eſt, praeter illas partes materiales dare unam formam, quae eadem in numero ſemper manens facit illud compoſitum myſticum ſemper manere unum, haec autem forma myſtica eſt fides Ieſu Chriſti, eo quod unica eſt fides omnium Chriſti fidelium praeteritorum, praeſentium, & futurorum, ſicut dictum eſt ſupra. Exemplum ad rem familiare apparet in flumine Wiſla qui Vandalus dicitur qui ſemper idem in numero hic manet quo ad formam, quamvis partes illius fluvii quotidie variantur ſibi invicem ſuccedentes. Ita haec forma myſtica ſcilicet vera fides Chriſti eſt ſicut quidam myſticus fluvius, in quo fluunt, & defluunt perſonae ſibi invicem ſuccedentes ſicut partes materiales, & per accidens Eccleſiae Catholicae, ſemper manente eadem Eccleſia quo ad formam, id eſt veram fidem Ieſu Chriſti,

quae

quae forma ſemper manet, & manebit recta, ſana, & immaculata quoad ſe, & in ſe, ita quod ei nullum falſum ſubeſt, nec ſubeſſe poteſt, aut aliquis error, & ſi cum plures haeretici, quantum in eis eſt, conentur eam depravare, & maculare, ipſa tamen in ſe ſemper Sancta, & immaculata manet, iuxta Verbum Domini: *Et portae inferi non praevalebunt adverſus eam*. Igitur ſicut Eccleſia militans ſemper manet eadem quoad formam, ſic ſemper manet Sancta, & immaculata, non habens in ſe aliquam maculam, aut rugam, & licet partes materiales multae habeant maculam, & rugam per diverſa peccata mortalia inquinatae, nihilominus Eccleſia manet Sancta; quemadmodum enim in compoſito naturali rationali, ut in homine, culpa homini imputatur, non ratione corporis, ſed ratione formae, ut animae; ita in illo corpore myſtico culpa, macula, ſive ruga non ex parte partium materialium, ſed ex parte formae debent imputari; alioquin ſi Eccleſia diceretur Sancta ratione par-

tium materialium, profecto nec Ecclesia praedestinatorum esset Sancta, cum multi praedestinati sint in peccatis mortalibus pro tempore sordescentes, immo & aliqui exciderint a fide ad tempus, & alii ad fidem nondum venerint; sic quoque nulla Ecclesia esset Sancta, quod est hæreticum, quia contra unum Articulum Symboli Apostolorum: *Credo Ecclesiam Sanctam Catholicam*. Alia quoque est responsio, qua dicitur, quod Ecclesia Sancta dicitur non propter Sanctitatem personarum in ea existentium, sed propter Sanctitatem Sacramentorum, quae in ipsa conferuntur, nec inquinari possunt per malitiam ministrorum, sed semper placent Deo, & prosunt suscipienti non ponenti obicem, sive per bonos sive per malos ministros dispensentur; sic dicimus, quia sic legimus ex Sacrorum Canonum auctoritate: *Non potest quantumcunque pollutus sit Sacramenta divina polluere, quae purgatoria cunctarum contagionum existunt; qualiscumque Sacerdos sit, quae Sancta sunt coinquinari non possunt*. XV. quaest. ult.

ult. c. ult. & ſequitur: *Sumite ergo ab omni Sacerdote intrepide Chriſti myſteria, quoniam omnia in fide Chriſti purgantur*. Alias profecto Sacramenta novae legis ſicut & Sacramenta veteris legis non placerent Deo ex opere operato, ſed tantum ex opere operantis, & ſic non eſſent maioris dignitatis, & efficaciae quam Sacramenta veteris legis, quod eſt error, cum ex ſe non procurent gratiam quam figurant, ſed ex Miniſtro conferente, & ejus bonitate. Et hoc ſit dictum de Eccleſia univerſali militante vera.

De Eccleſia vero univerſali repraeſentativa, ſcilicet de Concilio generali, quod dicitur Eccleſia univerſalis repraeſentative, ratione univerſalis iurisdictionis, auctoritatis, & Eccleſiaſticae poteſtatis, ut apparebit infra, aliquid breviter dicendum eſt. Eſt autem Concilium generale congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum ex omni ſtatu hierarchico totius Eccleſiae Catholicae, nulla fideli perſona quae audiri requirat excluſa, ad tractandum,

& ordinandum ſalubriter ea, quae debitum regimen ejusdem Eccleſiae in fide, & in moribus reſpiciunt, prout colligitur ex XVI., & XVII. Diſt. per totum. Generale enim Concilium univerſalem Eccleſiam repraeſentans, de qua dictum eſt, eſt regula a Spiritu Sancto directa, & a Chriſto tradita, ut quilibet cujuſcumque ſtatus, etiamſi Papalis, exiſtat, eamdem audire, & illi obedire teneatur, alioquin habendus eſt ſicut Ethnicus, & Publicanus, prout hoc colligitur ex verbis Veritatis Matthaei XVIII., prout infra clarius videbitur, & etiam quia in omni materia Fidei, & Eccleſiaſtica recurrendum eſt cum omni reverentia ad auctoritatem Eccleſiae quaſi ad Canonem divinitus inſpiratum, amplius quam ad Sacram Scripturam, vel quamcumque rationem, exemplo beati Auguſtini, qui pro ejus reverentia, & inobliquabili auctoritate in libro contra Fauſtum dixiſſe legitur: *Ego Evangelio non crederem, niſi me auctoritas Eccleſiae commoneret, quoniam tanta eſt auctoritas Eccleſiae, ut illa dumtaxat Scri-*

ptura

ptura Sacra habenda sit, quam ipsa Sacram esse declaravit. Propter quod omnes Doctores Catholici suas merito sententias ipsius declarationi submittunt, & nisi eorum libri approbentur ab ipsa, Catholici esse non possunt, quia omnis auctoritas immediate est a Spiritu Sancto, ut dicit Symbolum Apostolorum: *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam*. Omnes enim veritates Catholicae de septem Sacramentis Ecclesiae, de Clavibus, Officiis, & Censuris Ecclesiae, de rebus, de libertatibus Ecclesiae, de moribus, ritibus, & caeremoniis, de veneratione Reliquiarum & Imaginum, de Indulgentiis, de Religionibus in Ecclesia, de Institutionibus vivendi, & singulis fidem, & salutem animarum concernentibus sub hoc articulo fidei continentur: *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam*, quasi diceret, Credo quod omnia facta, instituta, & dicta Ecclesiae Catholicae sunt immediate, & principaliter a Spiritu Sancto veluti a causa eam totaliter, & singulariter dirigente,

& in eam dona, & gratias influente, ac ejus rectoribus veluti instrumentis utente.

His sic in genere de Ecclesia praemissis, ut ad ulteriora progrediamur, sit ista ad nostrum propositum Conclusio prima. Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam, quae in iis, quae Fidei sunt, & salutis errare non potest, confiteri cuilibet homini viatori est de necessitate salutis. Haec conclusio habet duas partes; prima, quod Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam confiteri cuilibet homini viatori est de necessitate salutis; secunda pars, quod Una haec Ecclesia Sancta Catholica in iis quae fidei sunt, & salutis errare non potest; quae conclusio quoad primam sui partem multa probatione non eget, cum veritas ejus in Symbolo Apostolorum, & Nicaeno sit sufficienter expressa, nec aliquis nisi hostis fidei de hoc habeat dubitare: articulus enim est Fidei credere unam Sanctam Ecclesiam Catholicam, quod fidelis quilibet credere est adstrictus, de quo si aliter pertinaciter

senserit

ſenſerit pro haeretico eſt habendus. De veritate hujus concluſionis quoad hanc partem eſt etiam expreſſa auctoritas in Cap. Firmiter. de Summa Trin., & Fid. Cathol. ubi dicitur: *Una vero eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur.* Cujus Eccleſiae Unitatem, & Sanctitatem tangit Apoſtolus ad Epheſios 5., ut ſupra allegatum eſt, dicens: *Chriſtus Eccleſiam ſuam dilexit, & tradidit ſemetipſum pro illa, ut eam ſanctificaret, & ideo ut ſit Sancta, & Immaculata.* Et II. ad Corinth. 6. ipſis Corinthiis in perſona Eccleſiae ſcribens: *deſpondi*, inquit, *vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, ubi in ſingulari loquitur; nec ponimus differentiam quantum ad praeſens inter triumphantem, & militantem Eccleſiam, quæ pro una reputantur Eccleſia, ſtatu, conditione, & loco diſtinctae, quae ſpeciem non diverſificant; cujus una pars regnat, alia militat, una praemiatur, altera meretur, una gaudet, altera gemit, una igitur eſt via in ea, & *unum Baptiſma, unus Dominus, una Fides,*

unus Dominus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes eſt. Ad Epheſios 4. Cujus Eccleſiae membra habent unitatem in corpore per fidem, pluritatem inter ſe per naturam, diverſitatem in officiis per donorum diſtinctionem. Sancta vero dicitur, quia ratione fidei, quae eſt forma ejus, & ratione baptiſmatis, & aliorum Sacramentorum Sanctos efficit, & regnat in vitam aeternam. Catholica autem dicitur ſecundum Sanctum Iſidorum de Summo Bono Cap. XXI. *quia univerſaliter per totum orbem diffuſa eſt*; unde ſecundum eumdem VIII. Lib. Ethicor. *Catholica graece dicitur, univerſalis latine, quaſi ſimul amplectens*. Beatus Cyprianus in Epiſtola ad Novatianum dicit: *Eccleſia una eſt, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur, quomodo ſolis multi radii, ſed lumen unum, & rami arborum multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum, & cum de uno fonte rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium a ſolis corpore*

corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; a fonte praescinde rivum, praecisus arescit; sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur, haec ille. Hanc unitatem beatus Augustinus XVIII. de Civit. Dei Cap. 46. dicit esse figuratam in missione Spiritus Sancti; dicit enim ibidem: *Christus adscendit in coelum, & post dies decem misit promissum Spiritum Sanctum, cujus venientis in eos qui crediderant tunc signum erat maximum, & maxime notum, ut unusquisque eorum linguis omnium gentium loqueretur; ita significans unitatem Catholicae Ecclesiae per omnes gentes futuram, ac sic omnibus locuturam*; haec ibi. Extra hanc autem Ecclesiam dicit ipse Augustinus neminem posse salvari in libro de Fide ad Petrum dicens: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum omnes Paganos, sed omnes Iudaeos, Haereticos, atque Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam praesen-*

tem

tem vitam finiunt, in ignem aeternum ituros, qui praeparatus est Diabolo, & Angelis ejus. Haec pars conclusionis ampliori probatione non indiget, licet pro probatione ipsius adduci alia plura possent.

Secunda pars Conclusionis probatur sic: Ecclesia Catholica regitur a Spiritu Sancto, sed Spiritus Sanctus errare non potest, ergo nec Ecclesia. Secunda pars nota est, quia Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Veritatis, & cum sit Deus, qui est prima Veritas, errare non potest: innuitur tam in Symbolo Apostolorum, quam in Nicaeno, ubi statim post Articulum Spiritus Sancti, cum dicitur *Credo in Spiritum Sanctum*, subjungitur Articulus de Ecclesia, videlicet *Sanctam Catholicam Ecclesiam*, ut sit sensus: Credo in Spiritum Sanctum, dirigentem videlicet & gubernantem, & sanctificantem Catholicam Ecclesiam, immo & vivificantem; unde Albertus in expositione Symboli, quam ponit in tractatu de Officio Missae sic dicit: *Iacobus Minor respiciens ad hoc quod Spiritus*

tus Sanctus datur, & mittitur ad sanctificandam Creaturam, quae Sanctitas numquam fallit in Ecclesia, sed nonnumquam fallit in persona; dixit Sanctam Ecclesiam; & quia omnis articulus fundatur in divina, & aeterna veritate, & non super creatam veritatem, quia omnis creatura vana est, & non habet solidam veritatem, ideo iste articulus sic resolvendus est ad proprium opus Spiritus Sancti, hoc est Credo in Spiritum Sanctum, non solum secundum se, sicut dicit praecedens Articulus, sed etiam Credo in eum secundum proprium ejus opus, quo sanctificat Ecclesiam, quam Sanctitatem profundit in Sacramentis & virtutibus, & donis, quae dat ad Sanctitatis perfectionem, & eamdem in miraculis & donis gratisdatis, sicut sunt sapientia, scientia, fides, discretio spirituum, operatio Sanctitatis, & prophetia, & hujusmodi, quae dat Spiritus Sanctus ad Sanctitatis Ecclesiae demonstrationem, haec Albertus. Secundo Christus promisit Ecclesiae suae assistentiam usque ad consummationem sæculi. Matth. ultimo: promisit etiam se esse in medio congre-

gre-

gregatorum in nomine ejus. Matth. XVIII.: promisit etiam se daturum Ecclesiae doctrinam Spiritus Veritatis, cum dixit Io. XIII. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Et iterum: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Et iterum: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus Veritatis docebit vos omnem veritatem*: per quae datur manifeste intelligi concessum fuisse regimen Ecclesiae Spiritui Sancto, Christo praesentia corporali ab ea recedente, secundum illud: *Nisi ego abiero Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam vobis eum*. Et quod Spiritus Sanctus docuerit Ecclesiam omnem veritatem necessariam ad salutem, apparebat hoc in visibili missione ipsius, cum datus fuerat in die Pentecostes in linguis igneis, quibus omnes gentes fidem, & doctrinam Spiritus Sancti suscepturae erant, postquam *in omnem terram exivit sonus eorum*, qui tunc eumdem Spiritum acceperunt.

perunt. Conſtat autem quod haec promiſſio facta per Chriſtum de miſſione Spiritus Veritatis non erat facta alicui ſingulari perſonae, ſed toti Eccleſiae univerſali; cum Petrus poſt miſſionem Spiritus Sancti, qui erat princeps Apoſtolorum, circa obſervationem Legalium videbatur erraſſe, propter quod fuerat a Paulo reprehenſus ad Galatas II. Toti ergo Eccleſiae, & non uni ſingulari perſonae haec aſſiſtentia Spiritus Sancti eſt promiſſa, unde Iſidorus: *Spiritus Sancti praeſentiam teſtatur congregatio Sacerdotum*. Et Chryſoſtomus in homelia ſuper illo verbo: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſaeculi &c.* ad hoc propoſitum dicit: *Quia vero eis magna iniunxerat, erigens eorum ſenſum dixit: Ecce ego vobiſcum ſum, quaſi dicat, ne dicatis difficile eſſe iniunctum negotium; ego ſum vobiſcum, qui omnia facio levia. Non autem cum illis ſolum dixit ſe futurum eſſe, ſed cum omnibus, qui poſt illos credunt; non enim uſque ad conſummationem ſaeculi Apoſtoli manſuri erant, ſed ſicut uni corpori fidelium loquitur*.

quitur. Haec Chrysostomus. Tertio probatur veritas istius secundae partis, dicit enim Dominus Ioannis V. *Oves meae vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & ego vitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*. Si ergo oves Christi non peribunt in aeternum, neque rapientur de manu ejus, oportet quod sit aliquid quod easdem oves infallibiliter ducat, inducat, & reducat; & hoc est vel esse debet per id, quod per se est infallibile, & exemptum ab omni errore, & hoc est Ecclesia, quae est mater omnium, & magistra. Quarto Ecclesiae est annexa notitia omnis necessariae veritatis, ex quo Christus, qui est Veritas non mentitur, cum dicit: *Spiritus Veritatis docebit vos omnem veritatem*; ad quod propositum dicit beatus Thomas secunda secundae art. 3. *Obiectum Fidei est Veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis, & doctrina Ecclesiae*, & subdit: *Quicumque non inhaeret Ecclesiae sicut infallibili, & divinae regulae, talis non habet fidem de Articulis Fidei*,

dei, ſed opinionem ſecundum propriam voluntatem, & ibidem in reſponſione ad ſecundum argumentum dicit, quod *omnibus Articulis Fidei inhaeret Fides propter unicum medium, ſcilicet propter Veritatem primam propoſitam ex Scripturis, ſecundum doctrinam Eccleſiae intellectam*, quod eſt notabile verbum; ſi enim Eccleſia aliquando poſſet errare, Doctores Sancti non ſubmitterent dicta ſua Eccleſiae, quod tamen faciunt, & nemo debet majorem fidem dictis eorum adhibere, quam ipſimet ſibi ipſis adhibuerunt, vel aliis adhiberi voluerunt; ſed ipſi in dictis, & propoſitionibus ipſorum ſaepe dubitabant, & ne damnabiliter errarent, in omnibus ſe & ſua dicta correctioni Eccleſiae ſubmittebant; ergo & fideles non debent expoſitiones Doctorum certitudinaliter veras reputare, nec eis fidem adhibere, niſi in quantum fuerint per Eccleſiam approbatae; 'unde nec Auguſtinus crederet Evangelio, niſi eum Eccleſiae auctoritas commoneret, ut ſupra allegatum eſt, & beatus Thomas ſecunda ſecundae quae-
ſt.

ſt. 10. art. 12. & quodlibeto 2. quaeſt. 7. dicit, quod magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiae, quam Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuscumque alterius Doctoris; haec eſt enim regula, & menſura omnis veritatis; ſicut enim fit in doctrinis aliarum ſcientiarum, quod concluſiones reducuntur ad principia, quae per ſe vera ſunt, in quibus eſt ſtatus, ſic quod contra negantem ea non eſt arguendum; ita etiam eſt in doctrina Catholicae veritatis, ſi doctores ſint ad invicem contrarii, & orta fuerit in eorum dictis ambiguitas, id reducendum erit ad primam regulam, & menſuram, ſcilicet ad auctoritatem univerſalis Eccleſiae a Spiritu Sancto directae, & id quod ipſa definierit & teneri mandaverit, illud eſt inconcuſſe tenendum; & ſi quis hanc ejus auctoritatem, & infallibilem veritatem ei annexam negaverit, non eſt contra eum tanquam contra negantem primum principium, amplius diſputandum; haec eſt enim regula & menſura, quae errare non poteſt. Lex vetus, novae legis figuram gerens,

prae-

praecepit Deuteronomii xvii. *Si aliquod difficile, & ambiguum apud te judicium perſpexeris eſſe inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & judicium inter portas tuas videris variari, ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quaereſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint qui praeſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad ſiniſtram.* Ecce in praedicta auctoritate nihil aliud innuere voluit, niſi quod recurſus fieri deberet omnibus fluctuantibus ad congregationem Sacerdotum, tanquam regulam infallibilem, quae errare non poſſet propter aſſiſtentiam Spiritus Sancti; & ſignanter dictum eſt ad Sacerdotes pluraliter, quia plurium auctoritas uni praefertur, exemplo Chriſti, qui in gradibus correctionis ab uno jubet aſcendere ad plures. *Si*, inquit, *te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos,*

 notans

notans per hoc, iudicium duorum fortius esse judicio unius, Matthaei XVIII. Unde & Apostoli in primitiva Ecclesia ortis dubiis de certis observantiis recursum habebant ad multitudinem discipulorum pro inquirenda veritate, ut plurium testimonio veritas clarius eluceret; & beatus Apostolus pro certitudine sui Evangelii, quod non ab homine acceperat, ad ipsum stabiliendum, non ad Petrum solum recursum habuit, sed ad plures Apostolos, scilicet Petrum, Ioannem, & Iacobum, cum quibus veritatem sui Evangelii conferre studuit, qui principales erant inter Apostolos, de quo dicit ad Galatas 2. *Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam, Barnaba assumpto, & Tito; ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum eis Evangelium Dei, quod praedico in gentibus &c.* Ecce quanta certitudo veritatis in Ecclesia, ut etiam Paulus in tertium Coelum raptus, & ibi divina revelatione edoctus, adhuc Evangelii confirmationem, & stabilimentum ab Ecclesia recepit, ne in vacuum cucurrisset. Sexto si necesse est confiteri unam Sanctam Ecclesiam, ut

dicit

dicit prima pars Conclusionis, ergo nunquam errantem, cum Sanctitas omnem excludat errorem; nihil enim erronei, aut falsi subest aut subesse poterit articulis fidei, cum obiectum fidei sit veritas prima; sed Ecclesiam esse Sanctam est articulus fidei, igitur nihil erronei in ea subesse poterit, neque falsi. Sequitur ergo quod Ecclesia universalis errare non potest in iis, quae sunt fidei, & salutis, quae fuit secunda pars Conclusionis. Et quidquid dicitur de Ecclesia universali, idem sentiendum est de Concilio generali legitime congregato ipsam repraesentante, de quo infra dicetur; & tantum de prima Conclusione.

Sed quoniam Ecclesia universalis, quae, ut dictum est, errare non potest, est universum corpus habens diversa membra iuxta doctrinam Apostoli, & dictum Augustini XX. Lib. de Civit. Dei Cap. VI. quod corpus sine capite esse non potest; ideo ut habeatur cognitio, seu notitia de capite istius corporis, sit haec Conclusio secunda. Sicut unum caput principale, verum, & immediatum est totius Ecclesiae, quod est Christus Je-

ſus, ſic unum caput miniſteriale, & vicarium eſt ejusdem Eccleſiae, & ſingulorum ejus membrorum, quod eſt Pontifex Romanus. Haec Concluſio duo dicit; dicit enim primo quod Chriſtus eſt caput principale, verum, & immediatum totius Eccleſiae; ſecundo dicit quod Pontifex Romanus eſt caput ejusdem Eccleſiae miniſteriale, & vicarium; quae Concluſio quoad primam ejus partem multa probatione non eget, cum de hoc Apoſtolus doctrinam ſuam, quam non accepit ab homine, manifeſte expreſſerit: dicit enim Apoſtolus ad Coloſſ. primo: *Adimpleo ea quae deſunt paſſioni ejus*, ſcilicet Chriſti, *in carne mea pro corpore ejus quod eſt Eccleſia*. Ecce appellat Eccleſiam corpus Chriſti ſaltem myſticum; & ſi Eccleſia corpus Chriſti myſticum eſt, oportet quod Chriſtus ſit ejus caput, cum aliud membrum eſſe non poſſit, quia nec pes, nec oculus, neque manus. Item ad Epheſios IV. cum beatus Paulus multas donationes, & gratias enumeraſſet in Eccleſia, *alios*, inquit, *Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores*,

ſtores, *&* *Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii*, & ſubdit, *in aedificationem corporis Chriſti*; ecce iterum dicit Eccleſiam corpus Chriſti, cujus ipſe caput. Item primae ad Corinth. XII. ait: *unum corpus eſt & multa membra habet*, *omnia autem membra corporis cum ſint multa*, *unum corpus ſunt*, *ita & Chriſtus*; *etenim in uno Spiritu &c.* ubi dicit gloſſa: *ita & Chriſtus etiam caput eſt unum*, quod manifeſtius exprimit Apoſtolus ad Epheſios primo dicens: *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*, *quae eſt corpus ipſius*, *& plenitudo eius*; & merito Chriſtus dicitur caput Eccleſiae, eſt enim eminentior, ut dicitur in Pſal. 88. *Ego primogenitum ponam illum excelſum ſuper regibus terrae*. Eſt dignior, quia *princeps regum terrae*, Apocalypſis primo. Eſt potentior, de quo dicitur Matthaei ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Coelo*, *& in Terra*: dignior, inquam, quoad regiam dignitatem, juſtitiae perfectionem, & gratiae plenitudinem; potentior vero, quia potenter iudicans, ſemper manens, recte guber-

 nans.

nans. Secundo Christus in sua humanitate aliquando fuit caput Ecclesiae cum in terra conversatus est, & nunquam subduxit praesentiam suam ab Ecclesia, seu assistentiam, alioquin verax non esset in promissis, quibus dicebat: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* Matthaei ultimo. Cum ergo fuit, & non desiit esse, ergo sequitur quod adhuc est caput Ecclesiae, cum se non subduxerit a regimine ipsius. Ad quod clarius ostendendum, in capite possumus tria considerare, secundum beatum Thomam in 3. part. q. VIII. art. 1. scilicet ordinem, perfectionem, & virtutem; ordinem, quia caput est prima pars hominis incipiendo a superiori, & inde est quod omne principium consuevit vocari caput, secundum illud Ezechielis XVI. *Ad omne caput viae aedificasti signum prostitutionis tuae*; perfectionem autem, quia in capite vigent omnes sensus interiores, & exteriores, cum in ceteris sit solus actus, & inde est quod dicitur Isaiae IX. *Longaevus & honorabilis, ipse est caput*; virtutem vero, quia virtus &

motus

motus & gubernatio ceterorum membrorum in ſuis actibus eſt a capite propter vim ſenſitivam, & motivam ibi dominantem. Unde rector dicitur caput Populi ſecundum illud primi Regum XV. *Cum eſſes parvulus in oculis tuis, caput in tribubus factus es*. Haec autem tria competunt Chriſto ſpiritualiter, primo enim ordinem habet ratione propinquitatis ad Deum, & ideo prior, & gratia altior, quia omnes alii acceperunt gratiam reſpectu ad gratiam ipſius, ſecundum illud ad Roman. VIII. *Quos praeſcivit, hos & praedeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. Secundo perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum ſecundum illud Ioannis primo, *de plenitudine eius omnes accepimus*, haec beatus Thomas. Ex quibus manifeſte oſtenditur Chriſtum eſſe caput Eccleſiae; igitur prima pars Concluſionis vera: *& vidimus eum plenum gratia & veritate*. Tertio virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Eccleſiae ſecundum illud Ioannis primo: *Et de plenitudine eius*

nos

nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

Secunda pars Conclusionis, quae plus videtur habere ambiguitatis, sic ostenditur; dicitur enim in C. *Ita Dominus* XIX. Dist. quod *Dominus Iesus Christus munus potestatis clavium ita ad omne Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet*. Ecce dixit Petrum, & per consequens quemlibet successorem suum, caput Ecclesiae, de quo etiam in C. *fundamenta* de elect. lib. VI. Nec potest hoc intelligi de capite vero, ut Papa dicatur verum Ecclesiae caput, cum Christus sit caput verum Ecclesiae ex prima parte Conclusionis: esset nempe Ecclesia biceps, aut bicipitalis, & monstruosa, si haberet duo capita aeque prima; unde sicut Papa non dicitur Episcopus universalis Ecclesiae, ut in C. *Ecce* XCIX. Dist. quia sic Ecclesia universalis diceretur vacare mortuo Papa, quod est ridiculum; sic etiam non dicitur verum caput

put Eccleſiae, quia eo decedente videretur eſſe acephala: dicitur ergo caput ſecundum quamdam metaphoram; ablato enim capite a corpore deſinit vita corporis, & tamen ablato Papa ab Eccleſia, non ceſſat vita Eccleſiae, cum Eccleſia ſine Papa vivat; ſolus igitur Chriſtus eſt caput Eccleſiae dans & ſenſum, & motum, & omnem ſpiritualem influxum, unde & Scriptura Evangelii cum faceret mentionem de abſciſſione membrorum ſcandalizantium, commemoravit oculum, manum, & pedem Matthaei v. & xviii. *ſi oculus tuus ſcandalizat te &c.*, & numquam fecit mentionem Scriptura de capite, ad innuendum quod verum, & immediatum caput Eccleſiae eſt Chriſtus, quod non poteſt Eccleſiam ſcandalizare, & ita nec reiici. Papa vero poteſt Eccleſiam ſcandalizare; ſi ergo ipſe eſſet caput Eccleſiae verum, etiam dictum fuiſſet de capite abſcindendo, ſicut de oculo, vel de manu. Deinde conſiderandum eſt quod Eccleſia univerſalis conſideratur dupliciter; uno modo ut eſt corpus myſticum, & iſto modo conſideratur prout a Chriſto regitur do-

nis,

nis, & charismatibus gratiarum, quae est corpus vivum, vivens semper vita spirituali, fide, & caritate, per quam Christus eam ut sui sponsam respicit, & gubernat, nec permittet eam maculari, & a se separari, quia sibi spiritualiter assistit defendens eam ab erroribus, & isto modo proprie caput Ecclesiae est Christus iuxta regulam Apostoli ad Ephesios primo. Alio modo consideratur Ecclesia ut est corpus politicum, secundum quod consideratur sicut alia communitas, aut societas politica, quae etiam absque influxu gratiarum & charismatum, ac spirituali Christi assistentia, quantum est ex humano judicio, potest debite regi humana aut divina lege; & isto modo posset dici quod Papae competeret dici caput Ecclesiae; sed prout Ecclesia est corpus mysticum, non proprie sibi competit esse caput Ecclesiae, sed posset dici vicarius, & minister capitis. Constat enim quod ei non conveniunt conditiones capitis, scilicet quod influat in Ecclesiam sensum, & motum gratiarum, & donorum spiritualium, nec
effi-

efficienter ut Deus, nec meritorie & excellenter ut Chriſtus. Et ut appareat ſecundum quam conditionem conveniat Papae eſſe caput Eccleſiae, & ſecundum quem influxum pro iſto notat beatus Thom. in 3. part. quaeſt. viii. art. vi. in reſponſione principali, quod caput in aliqua membra influit dupliciter: *uno modo, quodam intrinſeco influxu, prout virtus motiva, & ſenſitiva a capite derivatur ad cetera membra: alio modo, ſecundum quamdam exteriorem gubernationem, prout ſecundum viſum, & alios ſenſus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus*. Interior igitur fluxus gratiae non eſt ab aliquo niſi a ſolo Chriſto, cuius Humanitas ex hoc quod eſt Divinitati coniuncta habet virtutem iuſtificandi; ſed influxus in membra quantum ad exteriorem gubernationem poteſt alicui convenire, & ſecundum hoc aliqui alii poſſunt dici capita Eccleſiae, ſecundum illud Amos vi. *Optimates, capita populorum*: differenter tamen a Chriſto, primo quidem quantum ad hoc quod Chriſtus eſt caput omnium eorum qui ad Eccleſiam pertinent

tinent ſecundum occaſionem, locum, tempus & ſtatum: alii autem homines dicuntur capita ſecundum quaedam ſpiritualia loca, ſicut Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum, vel ſecundum determinatum tempus, ſic Papa eſt potius Eccleſiae caput ſecundum tempus ſui Pontificatus, & ſecundum determinatum ſtatum, prout ſcilicet eſt in ſtatu viatoris; etiam quia Chriſtus eſt caput Eccleſiae propria virtute, & auctoritate: alii autem dicuntur capita in quantum gerunt vices Chriſti ſecundum illud II. ad Corinth. Cap. II. *Nam & ego quod donavi ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti*; & ibid. Cap. v. *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*, haec beatus Thomas; ex qua auctoritate apparet quod Papa ſit caput Eccleſiae ratione influxus exterioris gubernationis, & ſecundum determinatum tempus, & ſtatum, ſed non eſt caput univerſalis Eccleſiae, ut oſtenſum eſt, neque etiam Concilii generalis ipſam repraeſentantis, ſed bene reſpectu Eccleſiarum particularium, & ſingularium membrorum Eccleſiae. Quod non ſit caput

caput Concilii generalis patet, Ecclesia enim prout consideratur in Concilio generali potius se habet ut corpus mysticum, quam ut corpus politicum; Christus enim ibi assistit in medio adiuvans, & defendens, & influens suam gratiam & dirigens in agendis approbando, & confirmando sententiam quae fit a Concilio, propter quod facta Concilii attribuuntur Spiritui Sancto, Actuum XV. ubi dicitur: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Ex quo apparet quod Spiritus Sanctus simul operatur, & judicat cum iis qui sunt in Concilio. Constat autem quod haec respiciunt Ecclesiam ut est corpus mysticum, ex quo procedunt ex influxu gratiarum, & charismatum Spiritus Sancti. Non ergo potest dici quod Papa sit caput Concilii, cum principale agens, scilicet Christus, ibi per se, & immediate operetur, & ideo non est opus ibi facere aliquam mentionem de instrumento. Si enim Papa diceretur caput Concilii, & haberet potestatem cohaesivam cessaret libertas quae reperitur in Conciliis ad dandum vota, quia *ubi*

Spiritus

Spiritus Domini, ibi libertas, ut dicit Apoſtolus. Nec obſtat quod dicitur Papam habuiſſe interdum praeſidentiam in Conciliis generalibus, ut in Cap. *in Nomine Domini* xxiii. diſt. & in Cap. *ad Apoſtolicae* de re iudicata in VI. & in aliis juris concordantiis; illa enim jura & alia ſimilia intelligenda ſunt de honoraria poteſtate ad beneplacitum Conciliorum eis data. Facit ad hoc dictum Caput *in Nomine Domini*, ubi dicebat Nicolaus Papa, *ſi placet fraternitati veſtrae*, & ita in Cap. *ad Apoſtolicae*. Poterat habere Papa praeſidentiam ex conceſſione, & permiſſione Concilii, vel ex tolerantia patientiae. Conſtat enim quod in pluribus vetuſtiſſimis Conciliis Papa non fuit praeſidens, ut patet in illis in quibus Romani Pontifices non faciebant definitiones, ſed ipſum Concilium per ſe dicendo, *Placuit Concilio*, ut patet in Capitibus, quae incipiunt *placuit* de Conſ. Diſt. iv. & in pluribus aliis, & in Conc. Apoſtolorum iv. de quo Actuum xv. Petrus licet fuerit princeps, ſententiam tamen non pronunciat, ſed Iacobus dicens *Placuit Apoſtolis, & ſenioribus*,

nioribus, *&* *omni Ecclesiae* *&c.* Unde & in Concilio Basileensi, cum Legati Papae venissent Basileam de anno Domini MCCCCXXXIV. Cardinalis Sanctae Crucis in Ierusalem, Archiepiscopus Tarentinus, Episcopus Paduanus, & Abbas Sanctae Iustinae, & praesentatis litteris adhaesionis, quibus ipse Eugenius tunc Papa approbaverat Concilium, & ei adhaeserat post primam revocationem retractando, & corrigendo omnia per eum prius indebite facta, peterent se admitti ad praesidentiam nomine Papae vigore litterarum, quas habebant, non fuerunt statim admissi, sed dati fuerunt Doctores in magno numero de toto orbe peritissimi, qui revolutis Scripturis & Sacris Canonibus deliberare deberent an ipsi praesidentes essent admittendi ad praesidentiam auctoritativam, & cohaesivam, prout petebant; qui in deliberatione persistentes per tempus satis notabile visum est ipsis, quod non admitterentur ad praesidentiam auctoritativam, & cohaesivam, & post ventum est ad deputationes, & scrutatis singulorum votis conclusum est iuxta

xra deliberationem illorum, & ex poſt facta ſeſſione publica, praeſente Sigiſmundo Imperatore in apparatu Imperiali, & Electoribus Imperii, ubi aderant Cardinales in notabili numero, tres Patriarchae, Ambaſſiatores Regum & Principum, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates in maximo numero de ſingulis nationibus, Nuncii Studiorum generalium, & Doctores legis divinae, & humanae in maximo numero de toto orbe peritiſſimi, decretatum eſt in illa ſeſſione publica quod domini Praeſidentes non eſſent admittendi, nec admitterentur nomine Papae cum poteſtate cohaeſiva, vel praeſidentia auctoritativa, ſed ſicut alia ſuppoſita Concilii, repraeſentantia tamen perſonam Papae; qui Praeſidentes ſic admiſſi praeſtiterunt iuramentum Concilio, ſicut alia ſuppoſita Concilii facere conſueverant, nec illi decreto tunc facto contradicebant, nec aliquis alius nomine Papae contradixit, immo nedum ipſi, ſed & ipſe Papa idem decretum tunc factum, ſicut & alia omnia decreta facta, & fienda approbavit expreſſe. Ex quibus patet,

patet, ut ſupra dictum eſt, ipſum non eſſe caput univerſalis Eccleſiae, neque Concilii generalis ipſam repraeſentantis, ſed bene eſt caput reſpectu Eccleſiarum particularium, & ſingularium membrorum Eccleſiae, reſpectu quorum dicitur habere plenitudinem poteſtatis, cum ſit Vicarius Chriſti. Unde ne ſuae poteſtati per haec videatur derogatum eſſe, aliquid de ea commemoremus, de ejus namque poteſtate dicit beatus Thomas in tractatu contra Errores Graecorum in C. LXVI., in quo aſſerit eum Pontificem primum, & maximum inter omnes Epiſcopos, & allegat Chryſoſtomum ſuper illud Matthaei XVIII. *Acceſſerunt ad Jeſum Diſcipuli dicentes, quis putas major eſt in regno Coelorum?* ubi dicit Chryſoſtomus quod tam magnum ſcandalum conceperunt quod jam in ſe occultare non poterant, & tumorem cordis non ſuſtinebant in eo quod viderent Petrum ſibi praeferri, & praehonorari. Item allegat beatus Thomas ad idem Chryſoſtomum ſuper Act. Apoſtolor. dicentem: *Petrus eſt vertex ſanctiſſimus, veri Apoſtolici Chori Paſtor bonus,*

& si sic, ergo & quilibet ejus successor. Item ad idem est beatus Thomas in tractatu item contra Errores Graec. C. LXVII. allegans Chrysostomum super Matthaeum dicentem: *Filius qui Patris est potestatem Petro universaliter concessit ubique terrarum, & homini mortali omnium quae in Coelo sunt dedit auctoritatem dando ei claves ad hoc ut Ecclesiam ubique terrarum amplificet*; & super Act. Apostolorum dicit idem: *Petrus a Filio super omnes qui filii sunt accepit potestatem, non sicut Moyses in gente una, sed in universo Orbe.* Item pro hac auctoritate Papae est auctoritas Cyrilli Hierosolymitani Patriarchae, quem allegat beatus Thomas in dicto tractatu contra Errores Græc. C. LXXXIX. qui dicit ex persona Christi ad Petrum: *Tu cum fine, & ego sine fine cum omnibus quos loco tui ponam plene & perfecte sacramento, & auctoritate ero, & sicut sum tecum.* Ad idem est Cyrillus Alexandrinus Episcopus in lib. Thesaurorum, quem allegat B. Thomas ibidem, qui dicit, quod Apostoli in Evangeliis, & Epistolis affirmaverunt in omni doctrina Petrum esse loco Domini in eius

Ecclesia, eidem dantes locum in omni consilio & synagoga, in omni electione, & confirmatione, & cui, scilicet Petro, omnes iure divino caput inclinant, & primates Mundi ipsi, tanquam Domino, omnes obediunt. Unde Chrysostomus ex persona Christi dicit: *Pasce oves meas, idest loco mei esto praepositus fratrum*, cujus potestatem admirans beatus Augustinus in Sermone de Apostolis dicit: *Quis*, inquit, *plebeum piscatorem Apostolorum crederet fieri principem, regibus obsistere, reges sanctificare, regnis omnibus imperare, mundum legibus fraenare, daemones sub pedibus calcare; magna potestas ejus est, quia totius orbis obtinet principatum* ix. q. iii. *Cuncta per mundum*, cujus Sedes a Domino primatum obtinuit xxii. dist. *Sacrosancta*. Et ideo ei etiam si peccator sit ab omnibus obediendum est, quamdiu enim ab Ecclesia toleratur, *sanctissimus* dicitur, non quidem ex vitae merito, sed ex sanctificandi officio, prout hoc clare deducit Augustinus de Ancona in libro de Ecclesiastica potestate q. iiii. art. 2. unde glo. sup. illo ver-

bo I. ad Corinth. III. *sive Cephas*, ubi dicit, *quoniam maximus est*; *quia igitur maximus*, & *summus est non potest ab aliquo homine judicari* IX. q. III. *Facta*, ubi dicitur: *Facta subditorum judicantur a nobis*, *nostra vero a Domino judicantur*; & in Cap. *aliorum*, ibidem dicitur: *aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari*, *Sedis istius Praesulum suo sine quaestione reservavit arbitrio*, & hoc est quod quotidie dicitur, quod Papa non habet superiorem in terris, sed haec intelligenda sunt in respectu ad Ecclesias particulares, & membra singularia Ecclesiae, quoniam judicari potest ab Ecclesia universali, & a Concilio generali ipsam repræsentante in casu haeresis, & notorii scandali, & sic de aliis ut infra videbitur. Ex his igitur apparere potest in quo sensu Papa dicitur caput Ecclesiae, & quam potestatem habere dicitur super membra Ecclesiae universalis, de cujus etiam potestate infra dicendum erit. Et tantum de secunda Conclusione.

Et quoniam Ecclesia universalis habens sic, ut praedicitur, Christum pro

capite vero, & immediato, summum vero Pontificem pro capite vicario, & ministeriali, nunquam potest simul esse congregata in unum, nam Ecclesia constat ex praeteritis, praesentibus, & futuris fidelibus in diversis mundi partibus constitutis; praeterita sunt translata; futura nondum advenerunt; praesentia sunt locorum distantia separata. Unde nunquam legimus totam universalem Ecclesiam in una congregatione fuisse unitam, quaedam enim ejus membra sunt in potentia, quaedam in actu; constituitur namque Ecclesia ex omnibus membris quae sunt, erunt, & fuerunt, & quae nunquam simul fuerunt, nec erunt a principio mundi usque in finem, *neque quantum ad esse naturae*, *neque quantum ad esse gratiae*, ut dicit beatus Thomas in III. parte q. VIII. art. III. in responsione principali, quae quidem membra invicem in una fide, & unitate Sacramentorum juncta unam faciunt Ecclesiam Catholicam, quorum omnium caput est Christus ex Conclusione praecedenti, quae continuatur in suis membris, licet distinguatur in mi-

litantem, & triumphantem, quae Ecclesia militans areae comparatur, iuxta illud Lucae III. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne, cujus ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Unde beatus Augustinus in Libro de Fide ad Petrum: *Firmissime tene, & nullatenus dubites aream Dei esse Ecclesiam Catholicam, & in ea usque ad finem saeculi frumento permistas paleas contineri &c.* Ex quibus patet Ecclesiam compositam ex bonis, & malis, praeteritis, praesentibus, & futuris, ut etiam supra dictum est; unde constat ipsam non posse in unum simul actualiter congregari ex omnibus membris ejus, & ita ex quo congregari non potest, nequit exire in actum executivum actualis iurisdictionis, quam habet auctoritative, & in habitu dum congregata non est; ideo ut possit exire in actum executivum suae iurisdictionis, & potestatis, oportet eam interdum congregari in suis certis suppositis, & membris principalioribus, & aliis, quod fie-

ri

ri poterit, & ſit in Concilio generali legitime congregato ipſam repraeſentante. Et ideo ad hoc propoſitum ſit haec Concluſio tertia. Quodlibet Concilium generale in Spiritu Sancto legitime congregatum repraeſentat univerſalem Ecclesiam, & habet poteſtatem immediate a Chriſto. Haec Concluſio non eget magna probatione, cum fundamentum, & probationem ſumat ex Decreto Concilii generalis Conſtant. cujus verba ſunt iſta in forma, ne in ſequentibus opus ſit ea reſumi: *Haec Sancta Synodus Conſtant. generale Concilium faciens, & univerſalem Eccleſiam repraeſentans declarat, quod ipſam poteſtatem habet immediate a Chriſto, cui quilibet cujuslibet ſtatus, vel conditionis, aut dignitatis etiamſi papalis exiſtat, obedire tenetur in iis quae pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiae in capite, & in membris. Item declarat quod quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatus vel dignitatis etiamſi papalis exiſtat, qui mandatis, ordinationibus, ſeu praeceptis hujus Sacrae Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper prae-*

praemissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel fiendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignae poenitentiae subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris suffragia, si opus fuerit, recurrendo. Ista est Constitutio Concilii Const., quae sufficere debet cuilibet credenti ad assentiendum huic conclusioni, cum sit dictum universalis Ecclesiae, cui sancti doctores dicta sua submittebant, quia quidquid approbat tenendum est, quidquid reprobat fugiendum: unde nec Augustinus dixit se velle credere Evangelio, nisi eum Ecclesiae auctoritas commoneret, & B. Hieronymus in disputatione contra Luciferianum dicit: *poteram hoc unico sole omnium tuarum disputationum rivulos exsiccare:* vocat autem unicum solem auctoritatem Ecclesiae. Praeterea si Concilium generale non repraesentaret universalem Ecclesiam, non recte dixisset Jacobus Act. xv. *Placuit Apostolis & senioribus, & omni Ecclesiae &c.* constat enim quod ibi non fuerat omnis Ecclesia, ex quo humano modo loquendo non est possibile eam simul congregari in unum locum; nefas est autem dice-

dicere quod illud non recte dictum fuerit, cum & illius Concilii facta attribuantur *Spiritui Sancto, & nobis*, qui Spiritus Sanctus cum sit Spiritus veritatis errare non potest, cum sit Deus. Sed quod Concilium generale habeat immediate potestatem a Christo, manifestum est ex verbis Christi, qui dicebat Collegio Apostolorum: *Ubi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint in medio eorum sum*. Matth. XVIII. Nec adest sine auctoritate, & potestate, cum nulla creatura sine eo aliquid dicitur posse; quanto magis interesse eum credendum est turmis sanctorum modo singulari, ut influat in eos gratiam Spiritus Sancti, propter quod dicebat Caelestinus Papa in Epistola ad Synodum Ephesinam: *Spiritus Sancti praesentiam indicat congregatio Sacerdotum, nec ibi putanda est deesse Divinitas Trinitatis, quae sanctificat Concilium, & sanctum reddit*. Dicit enim Isidorus in libro Conciliorum in gestis tertiae Synodi Toletanae ponens verba Caelestini Papae: *Valde necessarium esse perspexi vestram in unum convenisse multitudinem, habens sententiae*

divi-

divinae fidem, quae dicit: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo &c. Credo enim beatam Sanctae Trinitatis Divinitatem interesse huic sacro Concilio, & ita tanquam ante conspectum Dei in medio vestrum fidem meam pertuli: haec ille. Si ergo in Concilio est Divinitas Christi, quae est eadem totius Trinitatis, quis dicat potestatem Concilii immediate non a Christo procedere? nemo, inquam, dicet nisi hostis Ecclesiae: quis dicat Concilium non esse Sanctum, ubi est Divinitatis singularis assistentia, etiamsi Praelati in ea interdum sint mali, qui non obstante deformi vita eorum adhuc possent tractare, & definire ea quae sunt fidei, & salutis, cum non ipsi sint qui loquuntur, sed Spiritus Patris coelestis, qui loquitur in eis; si enim propter vitia loqui veritatem pro utilitate, & salute Ecclesiae non possent, jam portae inferi praevalere adversus Ecclesiam viderentur, quod obsistit irrefragabili sententiae Christi, qua dictum est: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam* Matth. XVI. Unde & Balaam missus per regem Baalach maledicere populo

pulo Domini non maledixit, ſed benedixit dicens regi: *non poſſum aliud loqui niſi quod juſſerit Dominus*, & ibid. dicitur: *cui cum Dominus occurriſſet poſuit verbum in ore eius*. Numerorum xxiii. & ibidem xxiiii. dicebat Balaam: *Si dederit mihi Baalach plenam domum argenti, & auri non potero praeterire ſermonem Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex ore meo, ſed quidquid Deus dederit hoc loquar*. Et ſi ſic eſt, quanto magis credendum eſt, quod Dominus aſſiſtens Concilio generali iuxta promiſſionem ſuam modo ſingulari ponet verbum in ore illorum, qui pro ſalute & fide membrorum ejus convenerunt in unum in nomine ejus, pro qua fide ipſe oravit Patrem, eſtque pro ſua reverentia exauditus, ut dicit Apoſtolus ad Hebraeos v. Cum ergo aſſiſtit Concilio generali ut caput & rector ejus, & ſui praeſentia ſanctificat illud, non permittit fieri ibi contrarium fidei aut ſaluti Eccleſiae ſuae. Sanctum igitur dicitur Concilium, propter haec quae dicta ſunt, quem titulum quodlibet Concilium generale etiam ex uſu Eccleſiae habente

funda-

fundamentum ex Scriptura, & ex usu Romanorum Pontificum sibi jam expresse adscripsit; dicitur enim in titulo cujuslibet Concilii generalis *Sacrosancta Synodus generalis &c.* quem titulum approbat totus Orbis, Summique Pontifices scribentes Concilio in suis Litteris eodem titulo jam utuntur. Quia igitur Sanctum est, & sanctitatem habet a Christo, & quia sanctam Ecclesiam repraesentat, merito potestatem dicitur habere a Christo, qui est rector ejus, a quo in ipsum dona spiritualia profluunt, & charismata gratiarum. Et tantum de tertia Conclusione.

Et quoniam Ecclesia universalis, & Concilium generale ipsam repraesentans potestatem habet immediate a Christo ex Conclusione praecedenti, ideo ut cognitum sit quae & qualis sit ista potestas Ecclesiae universalis, & Concilii generalis ipsam repraesentantis, sit haec Conclusio quarta. Potestas Ecclesiae universalis ac etiam cujuslibet Concilii generalis legitime congregati ipsam repraesentantis superior est potestate Papae, & qualibet alia potestate in terris, cui quili-

quilibet cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, aut conditionis etiamſi papalis exiſtat, obedire, & ſubeſſe tenetur, & ſi non obedierit poterit condigna animadverſione puniri. Iſta Concluſio eſt fundamentum hujus totius negotii, & ideo circa probationem ejus erit diutius immorandum, & antequam accedatur ad probationem ejus, hoc prius praemittendum eſt: quod ſicut Deus cuilibet creaturae dedit certam periodum, qua determinatur ad durandum in ſuo eſſe, & propriam virtutem innatam, & intrinſecam, qua poſſit corrumpentibus ſe reſiſtere, & ſe conſervare in eſſe, ex quo ſecundum Damaſcenum impoſſibile eſt ſubſtantiam eſſe expertem operatione naturali, & 4. Metheoror. dicitur: *Omne ens habet aliquam operationem, in quam dum poteſt dicitur tale &c.*; ita & Eccleſiae ſuae, quam voluit durare uſque in finem ſaeculi dedit virtutem & poteſtatem, qua poſſit ſe conſervare in ſuo eſſe, regere, & tueri, & conantibus ad ſui deſtructionem reſiſtere, quod videtur notari in verbis de Eccleſia dictis a Chriſto in ſua fundatione; cum enim dixiſ-

ſet

ſet quod *ſuper ſe petram aedificaret Eccleſiam*, ſtatim ſubiunxit: *& portae inferi non praevalebunt adverſus eam*, quaſi ſignificaret quod eo ipſo quod aedificata ſit habet in ſe virtutem, & poteſtatem ſe conſervandi in eſſe, & contrariis reſiſtendi. Unde de ea dicitur in Canticis, quod eſt *terribilis ut caſtrorum acies ordinata*. Quomodo autem eſſet terribilis, ſi hujusmodi virtute careret, & ſi, ut dicunt quidam licet erronee, hujuſmodi poteſtatem haberet ab extra, ut a ſummo Pontifice, cujus poteſtatem ſupra Eccleſiam efferre videntur, quod falſum eſt; ſequitur quod deficere poſſet, cum enim non ſit eſſentialis dependentia Eccleſiae ad Papam, qui pro ſuae dignitatis officio tenetur eam tueri, & defendere, ſi Papa moritur, vel eam tueri nolit, ſi tunc Eccleſia hujuſmodi virtutem non haberet, ſequeretur quod tandem deficere poſſet, quod ſentire eſt inſanum. Papa igitur non exiſtente habet Eccleſia virtutem & poteſtatem, quam per creationem Papae, quae fit ex ordinatione Eccleſiae non perdit, quam poteſtatem a Chriſto ad ſui regimen, & conſervationem

nem accepit; principia enim eſſendi & ſe conſervandi propria & immediata ſunt intrinſeca cuilibet rei; ſicut ergo Eccleſia nec propter creationem Papae deficit a virtute eſſendi, ita nec a virtute & poteſtate ſe regendi, & conſervandi in ſuo eſſe; haec autem poteſtas iuxta doctrinam Apoſtoli primae ad Corinth. XII. videtur ineſſe omnibus membris, ſive toti corpori, non autem uni membro tantum; dicit enim Apoſtolus: *Corpus non eſt unum membrum, ſed multa; ſi dixerit pes, quia non ſum manus non ſum de corpore, num ideo non eſt de corpore? & ſi dixerit auris, quia non ſum oculus non ſum de corpore, num ideo non eſt de corpore? ſi totum corpus oculus, ubi auditus? ſi totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore ſicut voluit. Quod ſi omnia eſſent unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non poteſt dicere oculus manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii &c. Sed temperavit Deus corpus, ut non ſit ſchiſma in corpore,*

re,

re, ſed in idipſum proinvicem ſolicita ſint membra, & ſequitur *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, & quosdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores &c.* Apparet igitur ex hac auctoritate iunctis iis, quae Apoſtolus dicit ad Epheſios IV. quod poteſtas Eccleſiae ſe ipſam conſervandi, regendi, & tuendi inſit corpori Chriſti, ſive omnibus membris ſimul, non autem quod ex unico membro dependeat in totum. Unde videtur haec poteſtas eſſe in Eccleſia, non ſicut in quodam toto integrali, aut univerſali, cuius eſſentia & virtus participatur a ſingulis partibus ſubiectivis, ſed ſicut in quodam toto poteſtativo; quemadmodum virtus exercendi actus & operationes animae eſt in ipſa anima, & ſuis potentiis ſicut in quodam toto poteſtativo, quae poteſtas, ſeu virtus non reperitur adaequate in aliqua ſuarum potentiarum, vel in una principali, ita ut ab illa totaliter aliis communicetur, ſed eſt in omnibus ſimul potentiis ex virtute unius animae, ſic videtur in Eccleſia eſſe hujuſmodi poteſtas.

ſtas.

ſtas. Quae autem ſit haec poteſtas Eccleſiae ad ſe regendum & conſervandum, eſt communis ſententia Doctorum, quod eſt poteſtas Clavium, videlicet ſcientia diſcernendi, & poteſtas judicandi, ligandi, atque ſolvendi, quae quidem poteſtas tantae eſt excellentiae, quod tota univerſitas hominum illam concedere non poteſt, ſed eam a ſolo Deo accepit Eccleſia. Patet, nam in poteſtate communitatis, ſeu multitudinis hominum eſt aliquem, vel aliquos ex ſeipſis relegare, & a ſua ſocietate ſeparare, ſed quod ille qui ab eorum ſocietate excluditur eo ipſo ſit ſeparatus a ſocietate Dei & Angelorum, hoc non eſt in hominis poteſtate; poteſtas autem clavium ad hoc ſe extendit, ut quae ligantur in terris ligata ſint in Coelis Matth. xviii. Et licet ſint aliae poteſtates in Eccleſia, ut conſecrandi Corpus Chriſti, abſolvendi a peccatis, & ſic de aliis, hic tamen principaliter intenditur de judiciaria poteſtate, an ſit penes Eccleſiam principaliter, an penes Papam principaliter, ut quidam dicunt, & cuius judicio potius ſtandum

est. Ad probandam igitur hanc conclusionem assumenda est quadruplex probatio: prima erit ex Scriptura Evangelii, ex Scriptura Sanctorum Doctorum ab Ecclesia approbatorum, & etiam ex Scriptura Sacrorum Conciliorum vetustissimorum. Secunda probatio erit ex consideratione nominum, ac rei per illa significatae, quae in Sacra Scriptura dicuntur de Ecclesia. Tertia probatio erit ex conditione hujusmodi potestatis prout est in Ecclesia, & in Papa. Quarta erit ex habitudine quatuor causarum, scilicet finalis, efficientis, formalis, & materialis; quantum ergo ad primum, occurrit illa auctoritas, quae expresse loquitur de hac potestate Matth. XVI. *Tibi dabo claves regni Coelorum, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Coelis, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in Coelis*: haec autem auctoritas Evangelii, prout Sancti Doctores exponunt, verbum est potius promissionis, quam concessionis, & cum illi censeatur haec potestas promissa, cui fuit concessa, nunquam vero reperiatur quod per haec

verba

verba Christus soli Petro hanc potestatem concesserit, sed etiam ipsi Ecclesiae, prout dicitur Matth. XVIII. *Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata & in Coelis, & quaecumque solveritis super terram erunt soluta & in Coelis*; ergo sequitur quod haec potestas clavium non ad solam personam Petri, & suos successores, sed principaliter ad Ecclesiam pertinet, cui per eadem verba legitur concessa, quod patet ex serie textus Evangelii: constat enim quod Christus omnes Discipulos simul, non autem solum Petrum interrogavit; & Petrus quasi omnium eamdem exprimens intentionem respondit; & Christus sic responsionem accepit, quod manifeste Lucas Evangelista testatur in cap. IX. sic referens: *Dixit autem illis, vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit Christum Dei, & ille increpans illos praecepit ne quid dicerent*. Ecce manifeste patet, quomodo responsio Petri erat responsio omnium Apostolorum, quia dicit, *praecepit ne quid dicerent*. Cum ergo secundum Rabanum, & alios Doctores propter meritum con-

fessionis fidei sit dictum verbum potestatis; confessio autem fuerit non solum Petri, sed omnium Apostolorum, ergo & auctoritas potestatis ad omnes Apostolos & eorum successores dicitur pertinere; hoc autem patet ex iis quae postea dicuntur in Evangelio. Nam post haec dicta legitur: *Quod de maioritate fuit tribus vicibus contentio inter Apostolos* Matth. XVIII. & XX. & Lucae XXII. Non autem de hac re toties contendissent, si intellexissent per praedicta verba: *Tu es Petrus, & tibi dabo claves &c.* vel per illa: *Tu vocaberis Cephas*, soli Petro, aut principaliter ad regendam Ecclesiam fuisse traditam potestatem. Ne autem iste sensus Scripturae videatur esse nova doctrina, vel dicatur excogitatus noviter, patet manifeste per auctoritates Sanctorum Doctorum exponentium verba praedicta, qui dicunt: quod cum Petrus claves accepit, Sanctam Ecclesiam significavit: quodque Ecclesia a Christo claves accepit proprie, Petrus autem figurative. Unde beatus Augustinus super Io. Sermone CXXV. loquens de Ecclesia inquit:

Hujus

Hujus Ecclesiae Apostolus Petrus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam, quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erit, gratia unus Christianus, abundantiori gratia unus idemque primus Apostolus: sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves regni Coelorum, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Coelis, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in Coelis, universalem figuravit Ecclesiam, quae in hoc saeculo diversis tentationibus, velut imbribus, fluctibus, & tempestatibus quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, unde Petrus nomen accepit; non enim a Petro Petra, sed Petrus a Petra, sicut non Christus a Christiano, sed Christianus a Christo vocatur: ideo quippe ait Dominus: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi. Super hanc ergo, inquit, Petram, quam confessus es, aedificabo Ecclesiam meam: Petra enim erat Christus. Super hoc fundamentum quippe aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est

Christus Iesus. *Ecclesia ergo quae fundatur in Christo claves ab eo regni Coelorum accepit in Petro, id est potestatem solvendi, ligandique peccata*: haec beatus Augustinus, & sunt ejus verba sicut ponuntur in forma, prout videri poterit in originali. Ad idem est beatus Hieronymus, cuius verba ponuntur XXIV. q. I. *Omnibus consideratis*, ibi inquit, *puto me non temere dicere alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quae dicitur aedificari super petram, quae unica columba appellatur, quae est sponsa pulchra sine macula & ruga, & hortus conclusus, & fons signatus, & puteus aquae vivae, & Paradisus cum fructu pomorum, quae domus etiam claves accepit, & potestatem ligandi & solvendi: hanc domum si quis corrigentem, corripientemque contempserit sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*: haec beatus Hieronymus; ubi expresse dicit Ecclesiam recepisse claves, & per consequens judiciariam potestatem. Ad idem est B. Augustinus Lib. primo de Doctr. Christ. C. XIII. qui dicit: *Est Ecclesia Corpus, sicut Apostolica*

ſtolica doctrina commendat, quae coniux etiam dicitur. Et paucis interpoſitis dicit: *Has igitur claves dedit Eccleſiae ſuae, ut quaecumque ſolveret in terra, ſoluta eſſent in Coelo, & quae ligaret in terra ligata eſſent in Coelo*. Ad idem eſt Innocentius ille Doctor famoſiſſimus in Sermone de beatis Apoſtolis, qui incipit ſic: *Interrogabat Ieſus Diſcipulos ſuos &c.* qui inter cetera, quae de Eccleſia loquitur, dicit ſic: *In ea autem viget coeleſtis auctoritas ad illud dignitatis provecta faſtigium, ut ejus ſententia quae profertur in terris, etiam obſervetur in Coelis*. Ad idem eſt beatus Auguſt. in Lib. be Fide ad Petrum C. 11. ubi dicit: *Numquam peccanti eſſet indicta pro peccatis deprecatio, ſi deprecanti non eſſet remiſſio concedenda; ſed etiam poenitentia peccatori tunc prodeſt, ſi eam in Eccleſia Catholica gerat, cui Deus in perſona beati Petri ligandi atque ſolvendi tribuit poteſtatem dicens: Quaecumque autem ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in Coelis &c.* Ad idem eſt Leo Papa in Sermone de Beatis Apoſtolis, ubi dicit, quod *vis hujusmodi poteſtatis, & hu-*

jus decreti constitutio ad omnes Ecclesiae Principes commeavit, sed non frustra uni conceditur, quod omnibus intimatur. Ecclesiae igitur datae sunt claves principaliter: sed quod Scriptura dicit Petrum etiam eas accepisse, dicit beatus Hieronymus, quem allegat Magister in IV. dist. XIX. quod ideo Petrus dicitur eas accepisse, *ut omnes intelligant, quod quicumque ab unitate Fidei, & Societate Ecclesiae se separaverit, nec peccatis solvi, nec Coelum ingredi potest*: haec beatus Hieronymus. Ad idem est beatus Augustinus in Libro de Agone Christiano dicens: *Non enim sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiae Catholicae personam sustinuit Petrus, huic enim Ecclesiae claves regni Coelorum datae sunt cum Petro: & quod ei dicitur ad omnes dicitur: Amas me, pasce oves meas*. Ad idem est Rabanus doctor ille famosissimus qui dicit sic: *Quamvis soli Petro haec potestas data videatur, ceteris tamen Apostolis dabatur teste Christo, qui insufflavit in eos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis*. Ad idem est beatus Augu-

gust. super Ioan. & habentur xxiiii. q. 1. *Quodcumque. Si Petro tantum dictum est illud: Quodcumque ligaveris super terram &c. non hoc facit Ecclesia, si autem in Ecclesia fit, utique quae in terra ligantur & in Coelo, & quae solvuntur in terra soluta sunt in Coelo, quia cum excommunicat Ecclesia, in Coelo ligatur excommunicatus, cum reconciliat Ecclesia, in Coelo solvitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit Ecclesiam Sanctam significavit, quod exponit Archidiaconus, idest sub signo & nomine Ecclesiae accepit.* Ad idem est Glossa ordinaria super illo ad Ephesios iiii. *Quosdam quidem dedit Apostolos &c.* dicit Glossa: *vice Christi praedicantes, ac omnium ordinatores & judices.* Ad idem est Augustinus in lib. quaestionum novi, & veteris Testamenti q. lxxix. & in Sermone xiii. de Apostolis Petro, & Paulo, ubi dicit: *Dominus Iesus Christus Discipulos suos ante passionem suam, sicut nostis, elegit, inter quos paene ubique Petrus solus totius Ecclesiae meruit gestare personam, & propterea audire meruit: Tibi dabo claves regni Coelorum:*
&

& sequitur: *has autem claves non unus homo, sed unitas accepit Ecclesiae*. Ad idem est auctoritas manifesta in C. *Firmiter* de summa Trin. & Fide Cath. ubi ponitur fides nostra, pro qua si necesse est, moriendum est: ubi dicitur quod Sacramentum Eucharistiae nemo potest conficere, *nisi Sacerdos qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit Apostolis, & eorum successoribus Iesus Christus*. Ecce dixit claves Ecclesiae, non Petri, & eas concessas Apostolis & eorum successoribus, non soli Petro. Ex quibus auctoritatibus Sanctorum patet, quod Ecclesia accepit claves principaliter ex concessione Christi. Cum ergo quaeri oporteat ubi de hac commissione legatur in Evangelio, nec alius locus aptior sit, quam, ut dictum est, Matth. XVIII. *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata & in Coelis, & quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in Coelis*; sequitur quod potestas clavium sit principaliter data Ecclesiae in personis Apostolorum, quod satis videtur probari ex dicto textu Evangelii Matth.

Matth. xviii. attenta maxime historiae narratione, nam Matthaei xvi. Christus dixerat Petro verba promissiva: *Tu es Petrus, & tibi dabo claves regni Coelorum*; deinde in C. xvii. in fine mandavit Petro solvere staterem pro eo, & pro se; unde quia ex iis videbatur eum constituere capitaneum supra alios, ut dicit Glossa super eodem verbo, ideo statim continuative subditur in C. xviii. in principio: *In illa hora accesserunt ad Iesum Discipuli dicentes: quis putas est maior in regno Coelorum?* seu in Ecclesia, quia Glossa ibi exponit: *idest in Collegio iustorum*; unde patet quod Evangelista proprie loquitur de superioritate, & tunc quibusdam interpositis Christus volens solvere hujusmodi quaestionem de superioritate, de qua quaerebant Apostoli, subiunxit in eodem Capitulo: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus es fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe unum vel duos &c. quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus,*

cus, & publicanus. Ecce dicit judicium Ecclesiae esse superius judicio Petri, & consequenter ut ostendat quale sit judicium Ecclesiae, & quae sit ejus potestas, statim subnectit: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata & in Coelis, & quaecumque solveritis super terram erunt soluta & in Coelis*. Ecce loquitur Apostolis collective, & eorum successoribus, non soli Petro, *quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis* pluraliter; & exposita sic potestate Ecclesiae, sequitur de potestate Concilii generalis ibidem, quasi Christus velit respondere tacite quaestioni: potuissent enim dixisse Apostoli Christo, Domine, ecce sumus jam certificati de superioritate, de qua quaerebamus, & scimus ubi debeat haberi recursus; si frater fuerit incorrigibilis, quia ad Ecclesiam; & scimus quanta est potestas Ecclesiae, quia extendit se ad Coelum, & ad terram: dic ergo nobis quomodo futuris temporibus Ecclesiae tuae, quae per totum orbem dilatanda est, dicere poterimus, seu hoc dictum adimplere: *dic Ecclesiae*, cum Eccle-

Bibl. Jag.

Ecclesia nullibi simul congregata erit? ubi ergo querelas hujusmodi audire poterit? respondet Dominus quasi velit dicere: Dicam vobis ubi Ecclesiam meam reperire poteritis, unde subdit consequenter: *Iterum dico vobis*, inquit Dominus Apostolis, *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum*; quod de celebratione generalium Conciliorum exponit Caelestinus in Epistola ad Synodum Ephesinam, ut dicit Isidorus in Lib. Controversiarum, quae auctoritas est suprapo sita; ecce ergo potestas generalis Concilii sumens fundamentum ex illis verbis Evangelii: *Ubi duo vel tres &c.* & ex illo dicto: *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata & in Coelis, & quaecumque solveritis super terram erunt soluta & in Coelis*; ex qua auctoritate Evangelii, quatuor notari videntur. Primum, quod claves regni Coelorum, de quibus supra, huic Ecclesiae per haec verba sunt concessae, patet, cum eadem verba, sub quibus erat facta promissio hic exprimantur; dixerat enim Christus prius Petro repraesen-

ſentanti univerſalem Eccleſiam verba promiſſiva: *Tibi dabo claves regni Coelorum;* hic autem quod promiſerat, expreſſe donat omnibus Apoſtolis, ſeu toti Eccleſiae in perſonis eorum dicens: *Quaecumque alligaveritis ſuper terram erunt ligata & in Coelis &c.* Secundo notatur in illis verbis, quod haec conceſſio facta eſt Eccleſiae in omni ſtabili firmitate, patet per verbum quod in donatione praemittitur *Amen*, quod notat juramenti auctoritatem. Tertio, quod in hiſce verbis intelligitur conceſſa poteſtas Eccleſiae non limitate, vel in certis caſibus, ſeu ſuper certas perſonas, ſed in omni plenitudine; patet ex ſignis univerſalibus, *quaecumque alligaveritis*, & *quaecumque ſolveritis*. Quarto notatur ex dictis, quod Chriſtus voluit judicium Eccleſiae eſſe majus, ac ſupremum in terris, & huic judicio Eccleſiae etiam ipſum Petrum, ſive Papam debere acquieſcere, & obedire, patet, nam verba praedicta, *ſi peccaverit &c.* Chriſtus dicebat ad Petrum. Si ergo Petrum inſtituit recurrere ad judicium Eccleſiae in hoc quod dixit ei, *dic*

Eccle-

Ecclesiae, sequitur Ecclesiae judicium esse superius; si enim judicium Petri esset superius judicio Ecclesiae, peccator post judicium Ecclesiae non deberet reputari tanquam Publicanus, restaret enim judicium Petri, qui tanquam superior examinare deberet judicium Ecclesiae; cum ergo dicatur Petro quod incorrigibilitatem fratris debeat referre ad judicium Ecclesiae, & non Ecclesia ad Petrum, sequitur quod judicium Ecclesiae sit majus, supremum, & finale. Item quod Papa includatur sub judicio Ecclesiae ex eo probatur, quod a correctione fraterna nemo fidelium excipitur; cum enim quemlibet liceat fraterne corrigere, & si non audiat debeat iuxta doctrinam praedictam deferri Ecclesiae, ita etiam si Papa nolit fraternae correctioni acquiescere, debet deferri ad judicium Ecclesiae; frustra enim deferretur, si Ecclesia non haberet potestatem in eum ferendi judicium; sicut enim qui secrete admonitus non corrigitur, licet eum admonere coram uno vel duobus testibus, ita coram iis admonitus si non acquiescit, licitum

est

est eum deferre ad judicium Ecclesiae; cum ergo Papa non eximatur a primo, & secundo gradu correctionis fraternae, ergo nec a tertio, videlicet ut dicatur Ecclesiae; unde illa auctoritas *Dic Ecclesiae*, etsi iuxta communem sententiam exponatur de Praelato, tamen sicut Praelatus inferior cum admonitus contemnit, oportet dici non sibi, sed Praelato superiori; ita erit de Summo Praelato; cum ipse non habeat Praelatum superiorem se, si correctus doctrinae Evangelii nolit acquiescere, oportet dici Ecclesiae, si simul congregata haberi possit, sed quia non potest, dicendum est Concilio generali ipsam repraesentanti, cui Papa obedire tenetur, & si non obedierit, poterit puniri, ut patet ex Constitutione Concilii Constantiensis. Verum est enim documentum Apostoli: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: Romanor. XIII. nec ab hac universalitate excipitur anima Papae, sicut nec a correctione fraterna. Quod autem Summus Pontifex comprehendatur sub nomine fratris, patet, quia Petrus in cujus locum succedunt

dunt Summi Pontifices, aliorum Ecclesiae membrorum se fratrem asseruit Act. primo, ubi dicitur: *Exurgens Petrus in medio fratrum dixit, (erat autem turba hominum simul fere centumviginti), Viri fratres, oportet impleri Scripturam; quam praedixit Spiritus Sanctus per os David.* Ecce ergo habemus ex auctoritate Evangelii, & dictorum Sanctorum probatum potestatem Ecclesiae esse superiorem potestate Papae, & quacumque potestate in terris, & quod dicitur de universali Ecclesia intelligendum est de Concilio generali legitime congregato ipsam repraesentante.

Veniamus ulterius ad Decreta Sacrorum Conciliorum, & incipiamus a primo, recipiamusque primum in manus quatuor Concilia, de quibus fit mentio in Actibus Apostolorum; in primo namque Concilio, de quo Act. primo de electione Mathiae in Apostolatum habetur: quod licet Petrus, qui primus erat, unde dicitur *Exurgens Petrus in medio &c.*, sicut ceteris honorabilior, & prout spectat ad praesidentem, proposuit, & conclusit sic faciendum; a-

ctus tamen qui videntur notare auctoritatem, & jurisdictionem fuerunt omnibus communes, nam dicitur de omnibus quod *ſtatuerunt duos, & dederunt eis ſortes, & cecidit ſors ſuper Mathiam*. Ecce dicitur *ſtatuerunt*, & non dicitur *Petrus ſtatuit*. In ſecundo vero Concilio, de quo Act. VI. haec auctoritas Eccleſiae, & Concilii ipſam repraeſentantis clarius exprimitur, nam dicitur ibidem, quod duodecim Apoſtoli convocantes multitudinem Diſcipulorum, dixerunt: *Non eſt bonum derelinquere nos verbum Dei, & miniſtrare menſis; conſiderate ergo ex vobis ſeptem viros boni teſtimonii plenos Spiritu Sancto, quos conſtituamus ſuper hoc opus*; & ibidem dicitur quod *impoſuerunt eis manus*; conſtat autem quod haec manifeſte notant in omnibus Apoſtolis communem auctoritatem, quia dicitur, *Conſtituamus*, non dicitur, *Petrus conſtituit*, & dicitur, *impoſuerunt*, non eſt dictum, *Petrus impoſuit*. Ex iſtis inferuntur duo; primum quod nedum ſtatuere, ſed etiam ad concilium convocare eſt commune non ſoli Petro, ſed & omnibus Apo-
ſtolis,

ſtolis, patet ex illo verbo, cum dicitur, *duodecim Apoſtoli convocantes &c.* ex qua ſcriptura ortum habere potuit Decretum Concilii Conſtantienſis, de perpetua Conciliorum generalium in futurum celebratione. Secundo infertur, quod non ſolum tractare cauſas fidei, ſed etiam miniſtros Eccleſiae in eorum officiis, & beneficiis inſtituere pertinet non ſolum ad Petrum, ſed etiam ad omnes Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, videlicet Pontifices, patet ex illo verbo cum dicitur: *Quos conſtituamus ſuper hoc opus;* facit ad hoc quod dicitur ad Titum primo, ubi Paulus mandavit Epiſcopo Cretenſi conſtituere Epiſcopos per Civitates, & ita non ad ſolum Petrum hoc pertinere videtur, & ita hodie decretum eſt in Concilio generali: Quod Archiepiſcopi examinata electione, electos in Epiſcopos confirment, ut redeat res in eum ſtatum, in quo prius fuit. In tertio autem Concilio, de quo habetur Act. xv. ſatis hoc idem clare patet; cum enim Iacobus ultimo iudicavit, non dixit, quod Petrus qui praeſens erat iudicavit, ſed dixit, Simon

narravit. Iacobus vero ſententiam dixit dicens, *propter quod dico: Ego judico non inquietare eos, qui ex gentibus convertuntur*. Epiſtola etiam non nomine Petri, ſed Apoſtolorum, & ſeniorum Miniſtrorum nominibus facta dicitur. In quarto etiam Concilio, de quo Act. XVI. patet idem; quando Paulo fuit iniunctum a Congregatione ſeniorum, ut deberet ſe conformare in caeremoniis Legis Moſaicae, actio ibi notatur communis, quia ſubditur: *hoc ergo fac quod tibi diximus*. Similiter quod Petrus acquieverit iniunctis ſibi, & ordinatis per Concilium, & quod obedierit Concilio patet manifeſte Act. VIII. ubi dicitur, quod *Audientes Apoſtoli quod Samaria recepiſſet verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem*: & Petrus abſque ulla diſcuſſione ſtatim iniuncta complevit. Miſſio autem de ſui ratione importat auctoritatem in mittente reſpectu miſſi, argumento ejus quod dicitur Lucae VII. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alii veni, & venit, & ſervo meo fac hoc, & facit*. Item patet

tet hoc ex Concilio magno Nicaeno ſub Iulio Papa, & Conſtantino Principe celebrato, ubi inter cetera dicitur: *Haec eſt fides quam expoſuerunt Patres, primum quidem adverſus Arium blaſphemantem, & dicentem Creaturam Filium Dei, & adverſus omnem haereſim extollentem ſe, & inſurgentem contra Catholicam Eccleſiam, quem cum auctoribus ſuis damnant apud Nicaeam Civitatem trecenti decem, & octo in unum congregati, quorum nomina cum provinciis ibidem ſunt ſubſcripta*. Ecce manifeſte apparet auctoritas Concilii in Concilio Nicaeno repraeſentante univerſalem Eccleſiam, ſcilicet quod Concilium habeat poteſtatem judiciariam patet ex verbo *damnant*, quod notat ſententiae prolationem. Item patet hoc ex Concilio Africano, in quo cum Legati Papae oſtendiſſent literas, & propoſuiſſent intentionem ſuam, remiſſio facta fuit ad Decreta Concilii Nicaeni pro deliberatione ſuper propoſitis facienda. Ecce reverentia Decretorum Concilii generalis, de quibus dicetur infra in concluſione ſequenti. Idem patet ex aliis Conciliis

generalibus, de quibus per Isidorum in Libro Conciliorum, in quibus reperitur sic dictum: *Sancta Synodus, vel Sacrum Concilium statuit, vel diffinit, declarat, anathematizat, vel placuit aut placet Sanctae Synodo*, & in subscriptione Episcoporum, qui intererant Synodis reperitur sic dictum: *Ego N. Episcopus diffiniens subscripsi, vel judicans, vel statuens*. Item patet auctoritas Concilii generalis supra Papam, & consequenter super alios omnes ex Decretis Concilii Constantiensis famosissimi, cui Ioannes Papa XXIII. in principio praesidebat. Cum enim, sicut habetur in gestis ejusdem Concilii, ipse Ioannes Papa de Constantia clandestine recessisset, ex ejus recessu quidam putabant Concilium esse dissolutum; statim successive factae sunt tres sessiones, in quibus decretatum est, quod per recessum Papae, & Praelatorum ceterorum non esset Concilium dissolutum, sed quod maneret in sua integritate, & auctoritate. Item decretatum est, quod ipse Ioannes non posset mutare, aut transferre ipsum Concilium Constantiense ad alium locum,

neque curiam ibi tunc existentem, decernendo censuras per eum factas vel fiendas in contrarium irritas, & inanes. Item quod non crearet novos Cardinales quos volebat pro non Cardinalibus haberi; nec Praelatos transferret in praeiudicium Concilii Constantiensis. Item tunc decretavit duo Decreta de potestate Conciliorum generalium. Item in alia sessione indixit tertiam formam procuratorii, per quam Ioannes Papa XXIII. deberet renuntiare Papatui, seu constituere procuratores ad renuntiandum. Item eadem Synodus postea contra eumdem Ioannem protulit sententiam depositionis, & ejectionis a Papatu propter simoniacam pravitatem, & alia scelera, de quibus fuerat Concilio delatus, quae omnia facta istius Concilii sunt & erunt sempiternum memoriale in generationibus. Ex quibus manifeste apparet an Concilium generale habeat jurisdictionem supra Papam, quod quilibet sanae mentis cognoscere potest. Item patet hoc idem ex sessione xxxii. Concilii Constantiensis, ubi factum est decretum de perpetua Con-

ciliorum generalium in futurum celebratione, ubi ſtatuta eſt etiam forma juramenti, quod quilibet electus in Romanum Pontificem praeſtare debet, & inter ceteras clauſulas inſeritur haec; Quod *Papa juret ſe tenere fidem ſecundum traditionem Sacrorum generalium Conciliorum.* Si ergo jurare debet ſervare fidem ſecundum decreta Conciliorum, non videtur quod ea paſſim poſſit ad ſuum libitum revocare, de quo tamen dicetur in ſexta Concluſione. Itaque cum Concilia generalia infligant poenas Summis Pontificibus propter perpetratos exceſſus, & ſtatuant ipſis legem, per quam ſuas in futurum dirigant actiones, & Eccleſia univerſalis, ſeu Concilium generale ipſam repraeſentans deponat Papam, Papa autem non poſſit deponere, aut deſtituere Eccleſiam a ſua dignitate, cum ipſa duratura ſit uſque ad finem ſaeculi, manifeſte apparet ſuperioritas Eccleſiae univerſalis, & Concilii generalis ſupra Papam, & praeſertim cum agitur de fide, de extirpatione ſchiſmatis, & reformatione Eccleſiae in capite, & in membris, ſeu de pertinentibus

bus ad illa. Et ſi ſuperior eſt ipſo Papa, conſequens eſt ut ſit ſuperior omnibus aliis membris Eccleſiae, quod ſic adhuc oſtenditur tali ratione. Licet enim unicuique rei inſit virtus ſe conſervandi in eſſe, & contrariis reſiſtendi, hoc tamen non eſt in ſummo gradu ita quod poſſit fortiori poteſtati reſiſtere, ſed in tertio gradu, ita videlicet ut ſubiiciatur violentiae majoris virtutis, ut patet manifeſte in animantibus, quae occiduntur, & conſumuntur a fortioribus in virtute: in Eccleſia tamen virtus & poteſtas ſe conſervandi a nulla ſuperatur virtute in terris, quod patet manifeſte ex illo verbo Chriſti Matth. XVI. *Et portae Inferi non praevalebunt adverſis eam*; cum enim teſtante Iob XLI. non ſit virtus ſuper terram, quae huic comparetur, ſcilicet poteſtati Leviathan, & haec non poſſit adverſus Eccleſiam praevalere, ſequitur quod a nulla creata virtute poterit ſuperari. Item aliter probatur ſic: Eccleſia Dei nihil eſt fortius, ergo ſequitur quod nec Papa erit ea fortior, vel ſuperior. Patet antecedens per beatum Chryſoſtomum in Homelia

lia quae incipit: *Multi quidem fluctus &c.* ubi dicit, quod *Ecclesia Dei nihil est fortius, quae carior est Christo quam Coelum, non enim est Ecclesia propter Coelum, sed Coelum propter Ecclesiam*. Praeterea Ecclesia universalis approbavit, & recepit Evangelium. Cum alii plures scripserint Evangelium, ut Thomas & Nicodemus; Ecclesia tamen solum quatuor Evangelia in auctoritate recepit, unde nec Augustinus crederet Evangelio, nisi eum Ecclesiae auctoritas commoneret, prout superius hoc hic repetitur. Similiter plures transtulerunt Bibliam, nec tamen omnes translationes sunt receptae. Similiter multa sunt, quae non continentur in Corpore Bibliae, quae tamen Ecclesia tenet, & approbat, sicut Evangelii veritatem, & hoc non est nisi ex eo quia in ea est summa auctoritas, & universalis potestas super omnia membra ejus, quae quidquid approbat tenendum, quidquid reprobat fugiendum. Praeterea si Concilium generale non habet jurisdictionem supra Papam, sequitur quod depositio facta de Ioanne XXIII. per Con-

cilium Constantiense non fuit iusta, neque valida, cum facta fuerit ab eo qui potestatem non habebat, & sequitur ulterius, quod electio facta de Domino Martino Papa non fuit canonica, cum facta fuerit vivente superstite; sequitur consequenter quod omnes Episcopi promoti per Martinum Papam non habebant titulum in suis Dignitatibus, nec erant pastores animarum, nec faciebant fructus suos, sed tenentur ad restitutionem, & similiter alii Beneficiati, & Rectores Parochialium Ecclesiarum promoti per Martinum Papam, & per Episcopos ab eo promotos, non habebant titulum in suis beneficiis, nec erant pastores animarum, nec habebant potestatem ligandi atque solvendi, quae si bene sonant, quilibet poterit judicare; omnia enim videntur inconvenientia, & alia plura quae sequuntur ex illis. Item nemo ambigit Concilium generale habere aliquam potestatem; vel ergo habet eam universaliter, vel particulariter; si universaliter, ergo haec potestas extendit se ad Papam, ut ipsius judicio supponatur, quia de ratione uni-

versa-

versalitatis non exceptivae est ad omnia posse extendi; si particulariter, hoc est contra dictum Evangelii, ubi dicitur toti Ecclesiae in persona Apostolorum: *Quaecumque alligaveritis super terram &c.* Matth. XVIII. quae locutio est universalis, & tantum de prima probatione.

Secunda probatio, quod judicium Ecclesiae sit dignius & superius, sumitur ex consideratione nominum & rei significatione per illa, quae in Sacra Scriptura dicuntur de Ecclesia, quae tamen Papae non possunt competere, dicitur namque de ipsa Ecclesia quod est *Mater* Ecclesiastici XXIV. *Ego mater pulchrae dilectionis*. Item dicitur *Domina gentium* Threnor. primo. Item *Regina* Psalmo XLIV. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato &c.* Item dicitur *Sponsa* Cantic. primo, & Apocal. XXI. *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de Coelo*; & iterum *tanquam sponsam ornatam viro suo*. Dicitur etiam *Corpus Christi* ad Ephesios primo. Ex prima itaque appellatione cum Ecclesia sit Mater, Papa vero Filius ipsius, ratione igitur excellentio-

ris dignitatis quae est in matre, & ratione honoris & obedientiae, quae a filio debentur matri, censetur esse inferior matre sua: nec potest dici quod ipse propter sui excellentiam non sit filius Ecclesiae, dicit enim beatus Augustinus in Lib. de Symbolo tractatu IV. *Siquis ab Ecclesia separatus inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum Dei, nec habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem*, & alibi dicit: *Quod cum Ecclesia sit Sponsa Christi unica, quae omnes filios, quos Christus habet haec Ecclesia gignit, sive parturit*. Ex hoc sequitur multo minus dici posse quod Papa sit pater Ecclesiae, cum nullus sit pater suae matris; sicut enim Salvator Matth. XXIII. docuit Quod *unus est Pater noster qui in Coelis est*, sic in terris est unica Ecclesia omnium fidelium Mater. Secundo deduci potest superioritas in Ecclesia respectu Papae, ex eo quod Ecclesia dicitur Domina, Papa vero & Episcopi non Domini, sed iuxta auctoritatem Apostoli, dicuntur *Ministri, & dispensatores mysteriorum Dei*. Unde & Christus cum de maiori-

tate

tate doceret Apoſtolos, dixit Matth. xx. *Quicumque inter vos voluerit maior fieri, ſit veſter miniſter*. Item Lucae xxii. *Ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat*, unde propter hoc convenit Papae appellari ſummum Miniſtrum Eccleſiae, & eſſe ſervum ſervorum Dei, quamquam ſit Vicarius Jeſu Chriſti, qui eſt Dominus & Sponſus Eccleſiae, Facit ad hoc quod dicitur communiter: Quod dominium rerum temporalium, quae ab Eccleſia poſſidentur, eſt apud Eccleſiam tanquam Dominam, apud Epiſcopos vero tanquam Diſpenſatores, & Miniſtros Sponſi. Tertio probatur ſuperioritas in Eccleſia, ex eo quod Eccleſia dicitur Regina, eſt enim Coniux ejus, *qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, & Princeps regum terrae*, Apocalypſis primo, de quo ſupra allegata eſt auctoritas beati Auguſt. in lib. de Doctrina Chriſtiana. Item quarto ex eo quia Eccleſia eſt Sponſa Chriſti, Papa vero non dicitur Sponſus, ſed Paranymphus Eccleſiae, ut dicit beatus Bernardus in lib. de Conſideratione ad Eugenium; Chriſtus enim Spon-

Sponſus eſt Eccleſiae, Matthaei xxv., ex qua denominatione ſatis apparet dignior excellentia Eccleſiae reſpectu Papae, unde ex hac conſideratione Auguſtinus in lib. de Symbolo dicit, quod Eccleſia totum poſſidet, quod a Viro ſuo accepit in dotem. Si totum poſſidet iuxta ſententiam Auguſtini, ergo abſque omni exceptione omnia ſunt ſibi ſubiecta, quae a Chriſto Sponſo ſuo accepit, ipſa autem eſt ſubdita viro ſuo. Quinto probatur ex hoc ſuperioritas in Eccleſia, quia ipſa eſt Corpus Chriſti, ut ſupra allegata eſt auctoritas Apoſtoli; Papa vero unum ex membris iſtius Corporis; omne autem corpus vivum organicum conſtituitur ex diverſis membris, tanquam ex partibus integrantibus ipſum totum. Eccleſia autem eſt Corpus Chriſti myſticum, organicum, fide Chriſti animatum, vel Eccleſia eſt univerſitas fidelium bonorum, & malorum, orthodoxam fidem tenentium, in Sacramentis Eccleſiae habentium ſocietatem. Cum ergo Papa non ſit Corpus hoc, quod eſt Eccleſia, ſed unum ex membris ipſius, iuxta doctrinam Apoſtoli, ut ſu-

pra allegatum eſt, ſequitur quod Papa eſt pars Corporis ipſius, & ipſa Eccleſia eſt quoddam totum; communis autem animi conceptio eſt omne totum eſſe maius ſua parte; ergo ſequitur quod Eccleſia, quae eſt quoddam totum maior eſt, & excellentior ipſo Papa. Maius autem non eſt intelligendum mole quantitatis corporeae, ſed magnitudine virtutis, excellentiae, & dignitatis, ſive poteſtatis. Ex his poteſt inferri, quod licet Papae conveniat ſuo modo dici Caput Eccleſiae, non propterea ſe debet Eccleſiae anteferre: quinimmo ex hoc forte inferri poſſet, quod eo ipſo, quod ſic contendit ſe praeferre Eccleſiae, facto, ſive aſſertione, tanquam male ſentiens de auctoritate, & dignitate Sanctae Matris Eccleſiae, nedum quod non ſit ſuperior, ſed etiam quod non ſit de membris Eccleſiae tanquam carens recta fide; reputat enim ſe caput talis corporis, quod ſibi aſſimiletur in conditione, videlicet quod ſicut ipſe poteſt errare, & deficere, ita & Eccleſia poſſit; eo enim ipſo quod vult judicium ſuum praeferri judicio uni-

universalis Ecclesiae, manifeste convincitur, quod aestimat eam errare posse; & sic eam non semper esse Sanctam & Catholicam, quae quidem assertio si sit de iis quae sunt fidei, aut de necessitate salutis manifeste constat, unde posset merito inferri quod separat se ab Ecclesia, & desinit esse membrum eius, & per consequens Caput, quandocumque enim reperitur divisio inter Ecclesiam, & aliquod membrum eius, sicut si inter Papam & Ecclesiam, notissimum est quod haec divisio non est ex parte Ecclesiae, de cujus ratione est semper esse unam ratione unius fidei, quae est forma eius; ergo sequitur quod haec divisio tenet se a parte membri, scilicet Papae, qui cum sit mortalis per naturam, & saepe moriatur per culpam potest effici membrum putridum, vult se in dignitate praeferre Ecclesiae Matri suae, quae est Sponsa & Corpus Christi, & semper vivit in Fide, & Charitate, nec est usque in finem saeculi desitura, & de hac excellentia Ecclesiae super omnia membra sua dicit Augustinus tractans illud Proverbiorum

ultimum : *Mulierem fortem quis inveniet?* ubi dicit per mulierem fortem Ecclesiam debere intelligi, & inter ceteras laudes dicit, quod ipsa Ecclesia iuxta auctoritatem divinae Scripturae pretiosior est omnibus suis lapidibus pretiosis ; vocatque lapides pretiosos filios, & Sanctos ejus, unde dicit quod quantumcunque sit aliquis magnus, ipse tamen si lapis pretiosus est & ornamentum ejus, quia omnis lapis pretiosus est ornamentum ejus, & ipsa est pretiosior omnibus pretiosis; si autem Papa esset superior Ecclesia, iam ipsa non esset pretiosior omnibus lapidibus pretiosis , nec hujusmodi lapis pretiosus esset ornamentum eius; sequitur ergo quod Papa non sit ea superior, nec aequalis ; & tantum de secunda Probatione.

Tertia Probatio principalis , per quam probatur superioritas potestatis Ecclesiae supra Papam sumitur ex conditione hujusmodi potestatis prout est in Ecclesia, & in Papa; est namque in Ecclesia haec potestas continue, permanenter, & perpetue; non est enim assi-

aſſignare diem, horam, vel momentum, in quo Eccleſiae deficiat haec poteſtas, & durabit uſque ad conſummationem ſaeculi: in Papa vero non eſt ſic, cum non ſemper vivat, poſſet etiam privari, & ſic carere hac poteſtate, poſſetque de novo eligi, & iterum eam haberet; & quoniam omne permanens & continuum praefertur variabili, interpellato, & temporali, ſequitur quod poteſtas, ſive auctoritas Eccleſiae praeemineat poteſtati Papae. Secundo, quia poteſtas haec in Eccleſia ſemper fuit, eſt, & erit recta quoad ea quae juris ſunt, & fidei, nec unquam Eccleſia a Fide deviavit, Papa vero frequenter; cum igitur in Eccleſia haec poteſtas eſt inobliquabilis, ita quod nedum nunquam erravit, ſed nec errare poteſt in iis, quae ſunt fidei, de ipſa namque dictum eſt Oſeae ſecundo: *ſponſabo te mihi in fide in ſempiternum*; hoc autem non competit Summo Pontifici, ut eo ipſo quod aliquis creatur in Papam ſit impeccabilis, manifeſte patet ſuperioritas Eccleſiae ſupra Papam. Tertio, quia in Eccleſia eſt cogni-

tio omnis necessariae veritatis ad salutem, iuxta illud Io. XVI. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, & primae ad Timotheum III. dicitur quod *Ecclesia est columna Dei vivi, & fundamentum veritatis*, glossa *in se sustinens veritatem ne corruat, quae duo verba* scilicet *columna, & fundamentum denotant manifeste inobliquabilitatem judicii*. Summus vero Pontifex saepe indiget ab aliis doceri etiam de veritatibus ad salutem necessariis, per Ecclesiam autem innotescit multiformis sapientia Dei, nedum hominibus, sed etiam principatibus, & potestatibus, prout dicit Apostolus ad Ephesios III. Igitur haec superioritas videtur esse maior in Ecclesia, ex quo infertur quod auctoritas Ecclesiae habet se ut mensura, & regula respectu actionum Papae: Patet quia rectum est Iudex sui, & obliqui, ut dicit Philosophus primo de Anima, & *omne quod obliquabile est deficereque & errare potest, regulari, & ordinari habet per aliquod inobliquabile, & indeficiens*; sic est de auctoritate Papae respectu Ecclesiae. Ex iis inferri potest quod

quod licet potestas, de qua supra, sit in Ecclesia & in Summo Pontifice, non tamen est diversa sed eadem; *accidentia enim numerantur numeratione suorum subiectorum*, ut dicit Philosophus V. Metaphysicae; sed cum sit idem hic subiectum potestatis istius, scilicet Ecclesia, Papa enim non est distinctum suppositum ab Ecclesia, cum sit unus de Ecclesia, sequitur quod haec potestas sit in eodem subiecto, scilicet in Ecclesia, & ita est una & eadem, & non plura: est etiam eadem quia est propter eumdem finem, & circa idem obiectum, & ab eodem auctore; sed ex quo est una & eadem potestas utrobique, quomodo potest esse in Ecclesia maior, & in Papa minor? Respondetur, quod hoc est propter diversum participandi modum; Ecclesia namque, ut praemissum est, sic habet istam potestatem, quod in ea est continue, perpetue, & inobliquabiliter, & annexa est illi notitia omnis necessariae veritatis, prout dictum est in probatione primae conclusionis, ad quod allegata est auctoritas beati Thomae secunda secun-

dae Quaeſt. v. Art. iii. quod non habet locum in Papa, qui errare poteſt; unde ſicut videmus in ſimili, quod unum & idem eſt liberum arbitrium in viatoribus & beatis quoad coactionis immunitatem, in quantum tamen comparatur ad id ad quod ordinatur, ſcilicet ad ſervandam rectitudinem; iſto modo liberum arbitrium in beatis eſt maius, quia ſemper hanc rectitudinem ſervat, ex quo confirmatum eſt per gratiam, ſic quod errare non poteſt: in viatoribus vero deficit a gratia confirmationis, nec ſemper hujusmodi rectitudinem ſervat, ſed ab ea frequenter deficit; ideo ſecundum communem ſententiam Doctorum poteſtas liberi arbitrii in beatis eſt major, in viatoribus minor; ſic ſuo modo loquendi eſt in propoſito, quia Eccleſia eſt ſic a Chriſto fundata ſupra petram, quod errare non poteſt in iis quae fidei ſunt, & neceſſaria ad ſalutem. Ideo haec poteſtas, prout conſideratur in Eccleſia, videtur habere quamdam gratiam confirmationis quoad hoc propter promiſſionem Chriſti, quia promiſit quod mitteret Paraclitum, qui maneret

neret cum fidelibus in aeternum, quodque oravit Patrem, ut non deficeret fides Ecclesiae, & quod ipse est cum fidelibus usque ad consummationem saeculi. Et quoniam haec inflexibilitas ad errorem non sic est in Summis Pontificibus, de quibus a fide plures leguntur errasse, ideo merito potestas in Ecclesia superior est, propter hujusmodi inflexibilitatem ad errorem, in Papa vero inferior; & sicut fideles tenentur credere revelationibus Angelorum, quod sciunt fallere non posse; unde & Zacharias percussus fuit silentio, quia Angelo dicenti credere noluit Lucae 1., ita etiam fideles tenentur stare determinationi Ecclesiae, quam sciunt errare non posse; si enim ab Ecclesia discunt Angeli, & eius doctrinae reverenter acquiescunt, secundum Apostolum ad Ephesios III. quanto magis homines, qui sunt ignari, & peccabiles tenentur stare determinationi, & dispositioni Ecclesiae? Summus vero Pontifex eo amplius ad hoc tenetur, quanto se in domo Matris suae prae aliis membris fulgere cognoscit, sicque eam am-

plius honorare tenetur; non enim accepit dignitatem Papatus ut cum Ecclesia ante suam electionem reputaretur Sancta, Catholica, immaculata, & verax in iudicio, quod post electionem suam haec auferantur ab ea, & transferantur in Papam, & quod potius fideles teneantur stare iudicio Papae, quam judicio Ecclesiae, quod contingeret si judicium Papae deberet praeferri iudicio Ecclesiae. Hanc enim dignitatem, quod errare non potest, habet Ecclesia a Christo, & usque in finem saeculi habebit, nec hanc conditionem transfert Ecclesia in Papam, cum ipsum in Sede Papatus constituit, sed apud se retinet; unde ratione hujus dotis, quam a Christo recepit, primatum, & potestatem habet super omnes homines in terra, nec cuiquam est subiecta nisi Christo sponso suo, & ita nec Papae, sed e converso Papa subiectus est Ecclesiae.

Quarta Probatio, per quam probatur superioritas Ecclesiae supra Papam, & consequenter super omnia alia membra Ecclesiae capitur ex habitudi-

ne quatuor causarum. Primo ex habitudine causae finalis, licet enim omnium quae sunt a Deo constituta Deus ipse sit primus finis, & principalis, tamen constat etiam quaedam in iis ordinari ad suos fines primo Ethicorum; manifestum est autem quod inter haec duo, scilicet esse alterius finem, & ordinari in aliud tanquam in finem primum, potius convenit Ecclesiae, quam Papae: id enim finis dicitur alterius, ad cuius bene esse alterum ordinatur, Ecclesia autem non ordinatur ad bene esse Papae, sed e converso Papa omnes actiones suas ordinare debet ad bene esse Ecclesiae: unde tunc actiones Papae sunt bene ordinatae, quando ex ipsis provenit bonum Ecclesiae, male vero, quando ab hoc fine deficiunt, sive eidem contrariantur. Hoc autem videtur dicere Apostolus primae ad Corinth. III. *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Caephas, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura, omnia vestra sunt. Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Super quem locum dicit Glossa ordinaria *Omnia vestra sunt, vos autem Christi*

non

non puri hominis, & ideo non in homine gloriamur, sed in Christo, cujus sumus creatione, & recreatione: hoc autem videtur dicere Apostolus, ut sicut haec nobis, seu propter nos concessa sunt, ita & nos Christo subiicere debemus: unde manifeste apparet quod Caephas potius est Ecclesiae, & ad eam ordinatur tanquam ad finem, & ipsius judicio subiicitur, quam e converso. Secundo probatur hoc idem ex habitudine causae efficientis: habet enim se Ecclesia in ratione efficientis principalis, sicut anima cum sit finis corporis habet se ad omnes actiones in ratione principalis efficientis, cum ergo huic corpori, quod est Ecclesia male competant operationes quae habent exerceri per membra sua ad bene esse hujus corporis, & ad ipsius virtutem, sequitur quod ipsum corpus se habet ad ipsas operationes in ratione principalis agentis: membra vero eius ut minus principalia sive ut instrumenta, sicut potentiae animae dicuntur quasi quaedam instrumenta ad operationes animae. Papa igitur licet sit membrum nobilissimum Ecclesiae sub Capite Christo, tamen

quia

quia in ipsius corporis virtute, & fide, & ad eius finem operari debet, non sibi competit respectu Ecclesiae habitudo principalis agentis, aut instrumenti primarii; quod autem se habet ad aliud in ratione principalis agentis praefertur ei quod est in ratione secundarii seu instrumenti. Cum igitur Ecclesiae competat ratio principalis agentis, Papa vero se habeat ut instrumentum, sequitur quod auctoritas Ecclesiae praefertur auctoritati Papae, & per consequens praefertur cuilibet membro inferiori Ecclesiae. Tertio probatur hoc idem ex habitudine causae formalis, omne namque judicium quod se habet inconcusse & inobliquabiliter ad rectitudinem veritatis, sive legis, est forma illius iudicii, quod potest ab huiusmodi rectitudine declinare: sic autem est de judicio Ecclesiae respectu actionum Papae, quia Ecclesia nunquam deviat, nec aberrare potest a fide recta, ut supra ostensum est, Papa vero frequenter. xix. dist. *Anastasius*: ideo judicium Ecclesiae dignius est judicio Papae. Quarto probatur hoc ratione causae materialis sive

ve ſubiecti; Papa enim & omnia alia membra inferiora ſunt ſubiectum ſive materia judicii Eccleſiae, quia poteſt omnia membra, & etiam ipſum Papam judicare, deponere, ſuſpendere ad tempus vel perpetuo, ut patet ex Decreto Concilii Conſtantienſis: Papa autem reſpectu Eccleſiae hoc non poteſt, cum ipſa duratura eſt uſque ad finem ſaeculi, nec Papa poteſt praecipere, aut ſtatuere quod nullus in Eccleſia oraret, laudaret Deum, vel baptizaret, & ſic de aliis. Cum ergo Eccleſia poſſit Papam privare, ſive ſuſpendere ab actionibus, quae ſibi in quantum talis eſt competunt, conſtat quod Papa ſe habet ut ſubiectum, ſive materia, ſupra quam Eccleſia poteſt exercere judicium, non autem e converſo: materia autem habet rationem inferioritatis, ut notum eſt; ergo ſequitur quod ipſe eſt inferior Eccleſia. Nec obſtat C. *ſi Papa* XL. diſt. ubi dicitur: *Si Papa animas ſubditorum ad inferos deduceret, nullus mortalium poſſet eum judicare, niſi deprehenderetur a fide devius*; illud enim ſolvit ſeipſum cum dicitur: *Nullus morta-*

mortalium, denegatur enim judicium ſingulis mortalibus, ſed non univerſali Eccleſiae, neque Concilio Generali, quod poteſt ipſum diſtringere ſi delinquit, quod poteſt per rationem naturalem fortificari ſuppoſito illo quod Papa ſit Caput miniſtrale Eccleſiae reſpectu membrorum ſingularium. Vidimus enim quod licet caput in corpore humano ſit ordinatum ad directionem & gubernationem membrorum, non ſitque licitum membra a capite, ideſt ab obedientia capitis recedere, ſi tamen caput in corpore humano efficiatur languidum ſeu infirmum, licitum eſt membris illud ligare, & cauterizare, ne totum corpus languor invadat, ſi dolor non fuerit curatus in capite. Ita etiam quod ſi Papa efficeretur furioſus, & habens enſem in manu exiens palatio quos ſibi obviam reperiret, occideret, utique liceret ſubditis inferioribus eum capere, & ligare, & ſi hoc liceret ſubditis pro ſalvatione corporis, multo magis licere debet Concilio generali univerſalem Eccleſiam repraeſentanti pro ſalute animarum, quando Papa male regendo, &

Eccle-

Ecclesiam scandalizando animas subditorum ad viam damnationis induceret. Similiter non obstat praedictis quod dicitur quotidie, quod Papa non habet superiorem in terris; verum est enim quod non habet superiorem Praelatum, cum ipse sit summus Praelatus, habet tamen superiorem se Ecclesiam universalem Matrem, Dominam, & Reginam, ac Sponsam Christi; sed quod dicitur Summus Pontifex, dicit beatus Bernardus in lib. de Consideratione ad Eugenium, quod Papa est summus non consummative, sed comparative, non comparatione meritorum, sed ministeriorum, est enim summus inter ministros, & Summus Pontifex respectu aliorum Pontificum; summus igitur est respectu personarum officialium, non respectu universalis Ecclesiae, in quam jurisdictionem exercere non potest, quae est Sponsa, & Corpus Christi. Similiter non obstat illud quod dicitur in C. *Nemo* IX. q III. ubi dicitur: *Nemo judicabit primam Sedem*, & sequitur: *Neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque a Regibus, neque a Populo Iudex judicabitur*

bitur, & Gloſſa ibidem dicit quod ſi totus mundus ſentiret in aliquo negotio contra Papam, videtur quod ſententiae Papae ſtandum eſt xxiv. q. 1. *haec eſt fides*; illud enim intelligendum eſt quando non ſubeſt cauſa judicandi, alias ſi ſubeſt cauſa, ſcilicet notorium ſcandalum, poteſt judicari, & puniri per Concilium Generale, ſi ſit incorrigibilis, ad quod propoſitum dicebat Gloſſa C. *Nemo*, quod cum Papa peccat, poteſt peccatum ejus Eccleſiae denunciari ſecundum admonitionem Evangelii, cum & ipſe ſubſit Evangelio; nec obſtat dictum Hoſtienſis in Cap. *Propoſuit*, de conſ. praebendae, ubi videtur dicere, *quod Eccleſia procedendo ſecundum admonitionem Evangelicam non poteſt judicare Papam*, quoniam ſalva pace ſua illud mandatum Evangelii *ſi peccaverit*, omnibus fuit dictum, & contra omnes peccantes, etiam contra Papam, ſicut contra alios, quando Papa peccat notorie in ſcandalum univerſalis Eccleſiae, ſicque praticatum fuit in Concilio Conſtantienſi contra Ioannem Papam XXIII. Facit pro auctoritate Conciliorum, quod habe-

habetur XVII. dist. *Hinc etiam*, ibi dum dicitur, *scientes quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum, deinde secuta jussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem*, quamvis Glossa ibidem hoc dictum moderetur, dicens *quod Ecclesia Romana potestatem principaliter habuit a Domino, & secundario a Conciliis*, cui concordat Gloss. C. *Dudum* III. q. VI. Sed quamvis ita sit, hoc non infert Papam non subiici Concilio quando notorie Ecclesiam scandalizaret: attento quod Petrus potestatem accepit a Christo ut minister Ecclesiae, & ita cum onere scilicet quod esset submissus ipsi Ecclesiae dominae suae, quando notorie illam scandalizaret, supra quam non accepit potestatem, neque jurisdictionem, sed super Ecclesias particulares, quod notat verbum *Ceteris* in C. *Quamvis* XXI. dist. ubi dicitur quod *universae per orbem Ecclesiae sunt unus thalamus Christi, & Ecclesia Romana ceteris Ecclesiis est praelata*, non dicit quod sit praelata thalamo, sed ceteris Ecclesiis, quod est dignum nota: ad glossam autem C. *Nemo*

prius

prius allegata, ubi dicitur *quod ſi totus mundus &c.* dicendum eſt quod Gloſſa loquitur argumentative arguendo pro & contra, ſed non deciſive, unde dicit *Videtur*, & quidquid in hoc paſſu hactenus per gloſſas, & doctores interdum affirmative, interdum negative fuerit opinatum, ſtandum eſt hodie definitioni factae per Concilium generale Conſtantienſe quoad caſus in decreto ejus expreſſos, videlicet cum agitur de fide, extirpatione ſchiſmatis, & de reformatione Eccleſiae in capite, & in membris, & de pertinentibus ad caſus praemiſſos, ſicut eſt caſus notorii ſcandali, & ſic de aliis, quod in his Papa ſit inferior Concilio generali, & ſi quis contrarium pertinaciter aſſereret, haereticus eſſet cenſendus. Sed pro probatione ſecundae partis concluſionis, ſcilicet quod Eccleſiae univerſali, & Concilio generali ipſam repraeſentanti quilibet cujuscumque dignitatis, ſtatus, aut conditionis, etiam ſi Papalis exiſtat obedire, & ſubeſſe teneatur, & ſi non obedierit poterit puniri condigna animadverſione, non eſt opus adducere Scri-

pturas ſupra Scripturam Veritatis Evangelicae, quia dicitur: *Si Eccleſiam non audierit ſit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*, & poteſt probatio huius patere ſufficienter ex praedictis. Et tantum de quarta Concluſione.

Sed cum Eccleſia univerſalis, ſeu Concilium generale ipſam repraeſentans ſit quaedam Communitas, ſeu multitudo Fidelium, quae regulari debet legibus, decretis & conſtitutionibus, quas ex poteſtate ſumma ſibi a Chriſto tradita ex praecedenti concluſione poteſt condere, quibus plurimi reniti, & contraire ſine poena conantur, ideo ut appareat hoc eis non eſſe licitum, pro iſto ſit haec Concluſio quinta. Decreta univerſalis Eccleſiae, ſeu Conciliorum generalium ipſam repraeſentantium ab omnibus Eccleſiae membris, quacumque etiam ſi Papali praefulgeant dignitate, ſunt inobliquabiliter obſervanda, quorum transgreſſionem quicumque cuiuſcumque ſtatus, conditionis, aut dignitatis, etiamſi Papalis ſit, ex contemptu incurrerit, poterit condigna animadverſione puniri. Concluſio duo dicit; primo, quod decreta

ta universſalis Eccleſiae ab omnibus ſunt ſervanda: ſecundo dicit de poena non obſervantium. Quantum ad primam partem probatur Concluſio. Univerſalis Eccleſia, & Concilium generale ipſam repraeſentans habet poteſtatis plenitudinem, & iurisdictionem univerſalem ſuper omnia membra Eccleſiae, ex Concluſione praecedenti; ergo ſequitur quod legibus & conſtitutionibus eius obedire quilibet eſt adſtrictus, eſſet enim inconveniens, & rationi diſſonans aliquem eſſe ſubiectum alicui, & eius iuſſionibus contraire, ut dicit Canon *Ridiculum, & ſatis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitus a patribus ſuſcepimus infringi patiamur* xii. diſt. *Ridiculum*, & praeſertim traditiones univerſalis Eccleſiae; ſi enim conſtitutio ſedis Apoſtolicae, ſeu Eccleſiae Romanae, quae ſubiecta eſt univerſali Eccleſiae tanquam pars toti ex prius dictis omnes ſtringit, & ad eius obſervantiam omnes tenentur, ut in C. ult. de Conſtit. multo magis conſtitutio univerſalis Eccleſiae, aut Concilii generalis ipſam repraeſentantis omnes obligat, & adſtrin-

git, propter quod in Concilio Toletano ſtatutum fuit, ut omnes Archiepiſcopi ſuis Eccleſiis notificent quae in Conciliis ſtatuuntur XVIII. diſt. *Decernimus*; & non ex alio, niſi quia omnes huiusmodi ſtatuta ſervare tenentur: Canonum namque ſtatuta ab omnibus ſunt ſervanda, de Conſt. C. primo, maxime autem Summus Pontifex, qui praeeminentiam habet in Eccleſia tanquam principale membrum ſub capite Chriſto, ad huiusmodi decretorum obſervantiam adſtrictus eſſe videtur; ſi enim in principio aſſumptionis ſuae ad Pontificatum iurare debet ſe velle tenere fidem ſecundum decreta generalium Conciliorum, prout decretatum eſt in Concilio Conſtantienſi, non videtur quomodo ea paſſim removere poſſit, quod attendebat ipſa Synodus Conſtantienſis condendo decretum, de quo ſupra, ubi ſtatuit quod *quicumque cujuſcumque ſtatus, conditionis, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, & ordinationibus, ſeu praeceptis hujus Sacrae Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper praemiſſis*,

missis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel fiendis contumaciter obedire contempserit, nisi resipuerit, condignae poenitentiae subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris suffragia, si opus fuerit, recurrendo. Et rectissime mota est Sancta Synodus ad condendum huiusmodi statutum, etiam quoad personam Papae, qui est Pontifex primae Sedis, nullam enim Sedem magis quam primam exequi oportet decreta universalis Ecclesiae xxv. q. 1. *Confidimus*, ubi hoc est expressum; & merito, cum scriptum sit, *Patere legem quam ipse tuleris*, de Constit. *Cum omnes*; & improperatur iis a Domino, qui dicunt & non faciunt, & qui aliis onera gravia imponunt, & ipsi nec digito volunt ipsa movere Matth. xxiii. Ex quo autem ipse est pars universalis Ecclesiae, merito debet huiusmodi decreta servare: unde sicut habetur ad Galatas ii. quia Petrus dabat occasionem ut alii fideles non observarent decretum factum in tertio Concilio, de quo Actor. xv. Paulus *restitit* Petro *in faciem* reddens causam resistentiae, *quia reprehensibilis erat*, eo quod

non ambularet ad veritatem Evangelii, ex qua auctoritate hoc singulare notandum, quod decretum ipsius Concilii ab Apostolo reputatur tantae auctoritatis, ut diceret quod veritas ipsius est veritas Evangelii. Constat enim quod non continebatur saltem expresse in Evangelio id, super quo Paulus reprehendebat Petrum, sed continebatur in Decreto Concilii, & forte ex verbo Apostoli greg. (*sic*) poterat sumpsisse occasionem ut diceret quatuor Concilia veneranda ut quatuor Evangelia xv. dist. *Sicut sancti*; quia Paulo licuit declarare videlicet contra actiones Petri, quod non ambularet ad veritatem Evangelii, quanto magis licebit Concilio generali legitime congregato respectu Summi Pontificis? Ex hac igitur auctoritate Scripturae, quae merito pro manutenenda libertate Ecclesiae scribenda est litteris aureis, patet manifeste quod Summus Pontifex tenetur observare Decreta Concilii; nam si non teneretur, iniuste Paulus redarguisset Petrum. Item si non sequeretur, valde absurdum; ex quo enim Papa peccare, & errare potest

test XIX. dist. *Anastasius*, possibile est dari in futuro tempore Papam, Domino permittente, qui sit malus, ignorans, plenus iniquitate, & arbor mala quae non facit fructus nisi malos; si ergo in potestate sua erit revocare Decreta generalium Conciliorum, in quibus saepe actum est de Fide, & si Fideles ei in hoc tenebuntur obedire, sequitur quod Ecclesia erit tandem posita in magno periculo, quod videtur absurdum. Potius ergo debet Decreta Conciliorum venerari, quam ea revocare sine evidenti & urgentissima, ac rationabili causa, quae ab universali Ecclesia reputaretur legitima atque justa: unde habetur Actorum XI. quod tempore Apostolorum in tanta veneratione erat Concilium, sive congregatio Apostolorum, & seniorum, quod putabatur non licere quidquam ardui etiam ipsum Petrum facere in contrarium absque aliorum Apostolorum, & seniorum deliberatione; unde quia Petrus baptizaverat Cornelium qui erat gentilis, & comedebat cum eo, quando reversus est ubi erat congregatio Apostolorum, disceptabant

adverſus eum pro hoc opere bono, & ad quietandum eos oportuit eum reddere rationem de geſtis: conſtat autem quod illud opus bonum erat, quia praedicare gentibus verbum Dei & baptizare iniunctum erat omnibus Apoſtolis Matth. ultimo. Ex quibus habetur quod omnes ſtringuntur ad obſervantiam Decretorum Concilii, etiam ipſe Papa; nec obſtat C. *Non debet* de conſang. & affin. ubi Papa prohibitionem Concilii generalis reduxit ad quartum gradum, neque C. *Statutum* de Reſcriptis lib. VI. ubi Conſtitutionem Concilii generalis de duabus Dietis reduxit ad unam Dietam; & ita videtur quod poſſit tollere Conſtitutionem generalium Conciliorum; ſed dicendum illud ibi fieri per Papam in Concilio generali, ipſo conſentiente, & ex permiſſione ipſius Concilii, quod patet ex verbis textus illius, cum dicitur *Sacri Concilii approbatione &c.* Similiter in C. *Statutum*, illud quod factum eſt, eſt factum per Papam pro bono communi juſtitiae, tanquam per miniſtrum & diſpenſatorem Eccleſiae, & in caſu quo Concilium generale

rale non erat congregatum, neque ipſe prohibitus fuerat facere ſine conſenſu Concilii; poſſet enim de conſenſu Concilii, immo & diſſoluto Concilio, poteſt condere ſtatuta pro regimine Eccleſiae, interpretari conſtitutiones, vel eas mutare ex evidenti utilitate, vel urgenti neceſſitate, quia quoad hoc princeps non ſtringitur legibus, non ſic ut ad earum obſervantiam non teneatur, ſed ſic non ſtringitur quin poſſit leges interpretari, mutare, vel novas condere pro utilitate Eccleſiae, dummodo id expediat; iſto enim modo, ſcilicet quantum ad mutationem, Principem eſſe ſupra legem, nec eum conſtrictum legibus dicit Beatus Thomas prima ſecundae q. xcvi. art. 2. in reſponſione principali dicens, quod *lex humana in tantum recte mutatur, in quantum per eius mutationem communi utilitati providetur; habet autem ipſa legis mutatio, quantum in ſe eſt, quoddam detrimentum communis ſalutis, quia ad obſervantiam legum plurimum valet conſuetudo in tantum, quod ea quae contra communem conſuetudinem fiunt, etſi ſint leviora de ſe, graviora videntur; unde*

de quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis in quantum tollitur consuetudo, & ideo nunquam debet lex humana mutari, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur, quod quidem contingit vel ex hoc quod aliqua maxima & evidentissima utilitas ex novo statuto proveniat, vel ex eo quod est maxima necessitas, ex eo quod lex consueta aut manifestam iniquitatem continet, aut eius observatio est plurimum nociva, unde dicitur a jurisperito, quod in rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo jure, quod diu aequum visum est: haec Beatus Thomas. Sic igitur & per istum modum Princeps dicitur esse supra legem, sed quantum ad vim directivam dicitur eum esse sub lege, sic etiam quantum ad vim dispensativam potest dici supra legem, in qua dispensare potest, de quo ponit notam Beatus Thomas, ubi supra Art. IV. quod dispensatio proprie importat *commensurationem alicujus communis ad singula*; aliquis autem dispensare dicitur in quacumque multitudine ex eo quod ordi-

ordinat qualiter aliquod commune praeceptum ſit a ſingulis adimplendum. Contingit autem quandoque quod aliquod praeceptum, quod eſt ad commodum multitudinis ut in pluribus, non eſt conveniens huic perſonae, vel in hoc caſu, quia vel per hoc impeditur aliquid melius vel induceretur aliquod malum; periculoſum autem eſſet ut hoc judicio cujuslibet committeretur, niſi propter evidens & ſubitum periculum; & ideo ille qui habet regere multitudinem, habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana, quae ſuae auctoritati innititur, ut ſcilicet in perſonis, & caſibus in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut praeceptum legis non ſervetur: ſi autem abſque hac ratione pro ſola voluntate licentiam tribuat, ut praeceptum legis non ſervetur, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens; infidelis quidem, ſi non habeat intentionem ad bonum commune; imprudens, ſi rationem diſpenſandi ignoret, propter quod Dominus dicit Luc. XII. *Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* &

ex

ex iis patet veritas primae partis Conclusionis. Sed quoad secundam partem, scilicet quod propter transgressionem decretorum poterit quis animadversione condigna puniri, pro veritate istius partis ultra id quod expressum est in Decreto Concilii Constantiensis de quo supra, est Canon etiam alterius Concilii generalis. 1. q. VII. *Si quis omnem*, ubi dicitur: *Si quis omnem traditionem Ecclesiasticam scriptam, vel non scriptam violat, anathema sit*: & in C. *Violatores* xxv. q. 1. dicitur: *Violatores Canonum voluntarie graviter a Sanctis Patribus judicantur, & a Sancto Spiritu, instinctu cujus ac dono ditati sunt, damnantur, quoniam blasphemare Spiritum Sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem Sacros Canones, non necessitate compulsi, sed libenter aliquid aut proterve agunt, aut loqui praesumunt*; nec videtur esse vere Catholicus, qui decreta universalis Ecclesiae non recipit, ut dicit Leo Papa scribens Episcopis Britanniae, & ponitur xx. dist. de Libellis, ubi dicitur: *Qui illa quae praediximus Sanctorum Patrum instituta, quae apud*

nos

nos Canones praetitulantur, ſive ſit Epiſcopus, ſive clericus, ſive laicus, non indifferenter convincitur recipere, nec Catholicam & Apoſtolicam fidem, nec Sancta quatuor Evangelia utiliter & efficaciter ad effectum ſuum retinere, vel credere probatur. Et tantum de quinta Concluſione.

Et quoniam ex non obſervantia decretorum univerſalis Eccleſiae, vel contradictione eorum, quanquam ipſis contradicere non liceat ex praecedenti Concluſione, Concilium generale Baſileenſe quod noſtris temporibus exortum vidimus, a quibusdam dicitur non fuiſſe legitime congregatum, vel ſi fuerit, diſſolutum creditur a quibusdam, ideo pro iſto ſit haec Concluſio ſexta. Sacra Synodus Baſileenſis a ſui exordio uſque in praeſens fuit & eſt in Spiritu Sancto legitime congregata, & inſtituta, quam nullus, quacumque etiamſi dignitate papali praefulgeat, potuit ſine eius conſenſu expreſſo diſſolvere, neque poteſt. Concluſio duo dicit; primum, quod Sacra Synodus Baſileenſis in & a ſui exordio uſque in praeſens fuit & eſt in Spiritu

ritu Sancto legitime congregata; secundo dicit, quod nullus cujuscumque potestatis existat, etiamsi papalis, poterit sine eius consensu expresso dissolvere, neque potest. Pro veritate primae partis Conclusionis satisfacit hoc, quod congregatio Concilii Basileensis habuit ortum ex Decreto Concilii Constantiensis habentis fundamentum ex scriptura, ut supra ostensum est, ubi inter alia decretatum est, approbante Martino Papa, quod post finem Concilii Constantiensis quinquennio continuo completo debeat celebrari Concilium generale, sicut & factum est, & demum post septennium immediate sequens debeat celebrari aliud Concilium generale pro reformatione Ecclesiae in capite & in membris, quod & factum est, & consequenter de decennio in decennium, & iuxta hujusmodi decretum Concilium Basileae fuit congregatum lapso dicto septennio, quod & ipse Eugenius Papa per suas patentes litteras in principio sui Pontificatus approbavit, misitque legatos suos ad praesidendum, qui in incorporatione per eos facta praestiterunt jura-

juramentum super decretis in dicto Concilio factis & fiendis manutenendis & observandis, & in dictis, & in aliis quampluribus litteris suis ipsum Concilium generale nominavit; unde & in Bulla sua, quae incipit *Moyses*, quae ab eo post praetensam eius dissolutionem ultima emanavit, dicit ipsum Concilium fuisse generale, in aliis autem suis litteris, per quas revocavit primam dissolutionem praetensam per eum factam, etiam confitetur dictam dissolutionem suam praedicti Concilii Basileensis praebere causam multis gravibus dissensionibus, decrevitque ipsam dissolutionem primam irritam, & inanem, declaravitque praefatum generale Concilium per se omni devotione, & favore prosequendum, ipsumque legitime inchoatum, & continuatum fuisse, & esse, ac si nulla dissolutio facta fuisset, revocavitque duas litteras in Palatio Apostolico promulgatas in praeiudicium praedictae dissolutionis, ac totum quidquid nomine suo in praeiudicium & derogationem praedicti Concilii Basileensis, seu contra eius auctoritatem factum fuerat

rat & attentatum, pollicitusque est deinceps a novitatibus, & gravaminibus seu praeiudiciis inferendis ipsi Sacro Concilio, vel suppositis eius, & adhaerentibus eidem, realiter, & cum effectu desistere velle. Ecce ergo inchoationem, & continuationem Concilii Basileensis omni firmitate vallatam, nec a quoquam debere haesitari de eodem, aut de ipsius legitima congregatione; sic ergo patet prima pars Conclusionis, quod Concilium Basileense in & a sui exordio fuit & est Concilium generale in Spiritu Sancto auctoritate legitima congregatum. Pro secunda vero parte probatur Conclusio, scilicet quod Concilium Basileense non potuit neque potest per quempiam sine eius consensu expresso dissolvi: patet, quia si per aliquem, maxime per Summum Pontificem; sed hoc fieri non potest, Papa enim pro libitu suo non potest Concilium generale dissolvere; aut enim ipse volens dissolvere Concilium innititur auctoritati legis naturalis, aut legis positivae, aut auctoritati legis Evangelicae; non primum, quia Papa non videtur habere potesta-

tem a iure naturali, cum iure naturali omnium ſit una libertas 1. diſt. *Jus Naturale*. Nec etiam poteſt ſe iuvare iure poſitivo, quia Eccleſia univerſalis, & Concilium generale ipſam repraeſentans nullo iure poſitivo ſtringitur aut ligatur, cum ſit ſponſa Chriſti immaculata, quae a Chriſto capite ſuo ſummam in terris obtinet poteſtatem ex quinta concluſione. Non etiam poteſt ſe iuvare lege evangelica, quia ſupra probatum eſt quod ſecundum legem Evangelii Papa ſubeſt Eccleſiae, cum ſit dictum Petro *dic Eccleſiae*. Si ergo nullo iure poteſt ſe iuvare, ſequitur quod ipſum Concilium diſſolvere de iure non poterit ſine conſenſu Concilii, nec transferre. Secundo probatur ſpecialiter quod ipſe Eugenius tunc Papa Concilium Baſileenſe diſſolvere non potuit, vel in Ferrariam aut in alium locum transferre; patet, nam poſt receſſum clandeſtinum Ioannis Papae XXIII. de Conſtantia, ſi ipſe Ioannes XXIII. diſſolviſſet Concilium Conſtantienſe, vel in alium locum transtuliſſet, quaeritur utrum huiuſmodi translatio vel diſſolutio tenuiſſet, vel non

tenuisset, seu robur non habuisset; si sic, sequitur quod Decretum Concilii Constantiensis super hoc factum de contrario erat iniquum, & iniustum, cum factum esset super re, de qua fieri non poterat; lex autem debet esse iusta, & possibilis IIII. dist. *Erit autem;* & sequitur quod Concilium Constantiense in hoc errasset, quod usque huc nemo dicebat; recedente enim ipso Ioanne XXIII. de Constantia fugae praesidio decretatum fuerat, quod ipse Ioannes non posset mutare aut transferre ipsum Concilium Constantiense ad alium locum, neque ipsam Curiam ibi tunc existentem, decernens censuras per eum factas, vel fiendas in contrarium irritas, & inanes, ipseque Ioannes nondum erat deiectus a Sede Papatus; si autem non tenuisset, seu robur non habuisset huiusmodi dissolutio, quae fuisset facta per Ioannem, ergo nec ista habet robur, quae facta est per Dominum Eugenium de Concilio Basileensi; patet, quia eadem est potestas illius & istius Concilii, cum per utrumque eadem Ecclesia universalis repraesentatur, cuius

cuius Caput est Christus, & illi duo Pontifices Ioannes, & Eugenius fuere paris potestatis. Tertio probatur specialius quod Concilium Basileense nondum dissolutum existit. Concilium Basileense in sui exordio fuit Concilium generale legitime congregatum ex prima parte conclusionis: ergo sequitur quod Papa tenebatur obedire eius statutis & ordinationibus, & si non obediret, posset puniri poena Canonica ex quinta conclusione. Sed quia in principio Concilii Basileensis in decreto XI. sessionis, quod incipit *Quoniam frequenter* decretatum est, quod nullus quacumque auctoritate etiamsi Papali fulgeret, posset dissolvere Concilium Basileense, vel ad alium locum transferre, nisi duae partes Concilii consentirent; ergo & huic decreto Eugenius Papa obedire tenebatur, praesertim cum ipsum per suam subsequentem adhaesionem approbaverit, sicut alia omnia decreta facta vel fienda, suique Praesidentes super his praestiterunt iuramentum: sed quia nondum duae partes Concilii Basileensis consenserunt ad dissolutionem eiusdem Concilii, ergo se-

quitur quod nondum eſt diſſolutum, & per conſequens remanet in ſua auctoritate, & integritate, ſicut fuit in ſui exordio; & ſi diceretur per partem adverſam, epicheia, ſeu interpretatio legis ſemper manet in Principe, & ſi ſic, poterat Papa interpretari Decreta Concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis, & ita diſſolvere Concilium pro libitu ſuo, vel de loco ad locum transferre, reſpondetur, quod epicheia eſt *quaedam virtus directiva juſtitiae legalis*, ut dicit Philoſophus quinto Ethicor., & eo melior, & nobilior, quo per eam modo nobiliori, & perfectiori obeditur menti & intentioni legiſlatoris, pro eo quod ipſi legiſlatores ſtatuendo leges frequenter reſpiciunt ad ea quae ut in pluribus accidunt, & raro de contingentibus provident, quia ad ſingula contingentia providere humanitus non valent, quibus de novo occurrentibus, & ſe in actionibus humanis offerentibus, fit proviſio per hanc virtutem interpretativam legum, quae virtus ſemper remanet in Principe, niſi expreſſe ſit ei prohibitum epicheizare per eum qui hoc poteſt.

Modo

Modo hic ei expresse prohibitum est per Concilium generale in Cap. *Quoniam frequens* ne dissolvat, ut reformatio in Ecclesia subsequi possit in capite, & in membris; epicheizare ergo non potest in hoc casu, maxime durante Concilio generali, & idipsum prohibente, habente potestatem supra Papam, ex prius dictis, cuius virtus prohibitiva intelligitur esse excepta in dicta epicheia. Sed obstare videtur praedictis C. *Significasti* de elect. ubi dicitur, quod per Ecclesiae Romanae auctoritatem omnia Concilia robur accipiunt, & ideo in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipitur auctoritas; ex quo videtur argumentum colligi quod ex quo Concilia robur accipiunt ab auctoritate Romanae Ecclesiae, quod non possit aliquod Concilium congregari sine auctoritate Papae, de quo XVII. dist. per totum. Similiter ex quo auctoritas Romani Pontificis excipitur in statutis Conciliorum, videtur, quod Papa poterat interpretari decretum Concilii Constantiensis, & Basileensis, & ea in alium locum transferre. Responsio: Regulari-

ter Concilium generale non poteſt eſſe legitime congregatum ſine auctoritate Papae, niſi quando immineret neceſſitas congregandi illud pro intereſſe univerſalis Eccleſiae, & Papa nollet congregare, de quo infra dicetur: ſed poſtquam Concilia generalia auctoritate Papae vel alias legitime congregata ſunt, poteſtas eorum non dependet a Papa, ſed a Chriſto immediate tanquam a capite, ut ſupra oſtenſum eſt. Concilium autem Baſileenſe non fuit congregatum ſine auctoritate Papae, immo de auctoritate Martini Papae factum fuerat decretum in Concilio Conſtantienſi de celebratione Concilii Baſileenſis, & poſtea idem Concilium fuit per Dominum Eugenium tunc Papam confirmatum, ratificatum, & ſtabilitum; & dicebatur notanter, niſi immineret neceſſitas congregandi illud pro intereſſe univerſalis Eccleſiae; ſtaret enim quod ſine auctoritate Papae congregari poſſet aut potuiſſet, quia ſi nullo Papa exiſtente Cardinales eſſent obſtinati, & nollent eligere Papam, volentes turbare Eccleſiam, vel non poſſent convenire, vel eſſent
per

per tyrannidem impediti, aut incarcerati, vel omnes mortui, vel ſi omnes Cardinales cum Papa eſſent haeretici, vel Papa eſſet ſcandaloſus notorie, vel incorrigibilis, aut ſi Papa proferret cum Collegio ſententiam dubiam, aut contrariam in materia fidei, & in hoc pertinaces eſſent, nolentes Concilium convocare, vel eſſet exorta dubitatio de contentione plurium de Papatu, nolletque Papa convocare Concilium, vel aliquis alter caſus ſe offerret, qui vergeret in noxam Eccleſiae, conſtat quod in talibus caſibus, aut aliquo eorum poſſet, immo deberet Concilium congregari ſine mandato Papae, etiam ipſo renitente; alias ſi non poſſet, tunc tota politia Eccleſiae eſſet poſita in periculo, & magna turbatione: verum eſt ergo dicere, quod Concilium congregari poteſt etiam ſine auctoritate Papae; de hoc tamen jam ſufficienter proviſum eſt per Concilium Conſtantienſe, in quo factum eſt decretum de perpetua Conciliorum generalium in futurum celebratione: quandocumque erit congregatum aliquod Concilium, ſemper congre-

gabitur auctoritate Papae, & etiam universalis Ecclesiae, quae fuerat in Concilio Constantiensi congregata; sic etiam Concilium Basileense fuerat & est eadem auctoritate congregatum ex prima parte conclusionis, & ita standum est posteriori iuri facto in Concilio Constantiensi de celebratione generalium Conciliorum. Similiter quod dicebatur quod in statutis generalium Conciliorum Romani Pontificis excipitur auctoritas, verum est iuxta ea quae dicta sunt in conclusione praecedenti, quod intelligitur auctoritas huiusmodi excepta ad interpretandum, declarandum, & moderandum statuta Conciliorum secundum varietatem temporum, suadente evidenti utilitate, vel urgente necessitate cum consilio maioris partis Cardinalium, quod de honestate requiritur quandocumque Romano Pontifici pro bono reipublicae videretur faciendum; quae quidem auctoritas interpretandi dicitur epicheia, seu interpretatio legis, ut supra dictum est, in qua interpretatione semper intelligitur excepta auctoritas prohibitiva universalis Ecclesiae, & Concilii generalis

ralis ipſam repraeſentantis, tanquam auctoritas ſuperioris, ut quandocumque Eccleſia univerſalis, ſeu Concilium generale ipſam repraeſentans prohibet epicheizare, ſicut in caſu C. *Quoniam frequens*, ibi non poteſt epicheizare, quia expreſſe per Eccleſiam prohibetur, ne diſſolvat Concilium: ſi enim contrarium diceremus, ſequeretur abſurdum, ſcilicet quod Papa vigore dictae epicheiae poſſet derogare omnibus conſtitutionibus Sacrorum Conciliorum, & omnem bonam politiam Eccleſiae evertere, quod eſt valde inconveniens, cum non habeat poteſtatem ad deſtructionem, ſed ad aedificationem 2. Corinth. 10. Apparet igitur ex his, quod Papa pro libitu ſuo non poteſt diſſolvere Concilium generale, iſta enim non concordant, dicere, Papam poſſe iudicari a Concilio in caſu haereſis, quod Papa negare non poteſt, & ex alia parte dicere, Papam poſſe Concilium diſſolvere ad libitum ſuum; aut enim aliquis Papa erit haereticus ante Concilium, vel tempore Concilii; ſi ante Concilium, ipſe nunquam congregabit Concilium, ſi haereſim pertina-

tinaciter defendere voluerit, alias iniiceret ſibi ipſi laqueum; ſi tempore Concilii erit haereticus, & ſciret contra ſe ferendam ſententiam, ſicut & ferenda eſt contra pertinacem, ſtatim diſſolvet Concilium: ſi verum erit dicere quod ad hoc paſſim poteſtatem habeat, & ita nunquam ſententia poſſet ferri contra Papam haereticum, & ita hoc ius quod dicit Papam in caſu haereſis poſſe iudicari per Concilium erit ludibrio, & fruſtra; potius ergo dicendum eſt, quod in tali caſu, & in ſimili, quando ipſe ſcandalizaret Eccleſiam notorie, Eccleſia habet poteſtatem congregandi Concilium generale, prout decretatum eſt in Concilio Conſtantienſi, quod Papa pro libitu ſuo diſſolvere non poteſt, & ita nec Concilium Baſileenſe ipſe Eugenius tunc Papa poterat tunc diſſolvere ſine eius expreſſo conſenſu: debebat quippe ipſe Eugenius, cum transferre voluit Concilium Baſileenſe, recordari illius Decreti, quod ipſe per ſuam adhaeſionem approbavit expreſſe, ubi decretatum eſt, & declaratum omne Concilium, quod iſto durante contingeret alibi erigi, non fore

fore Concilium, sed schismaticorum conventiculum; intelligitur autem durare donec ex consensu duarum partium iuxta tenorem Decreti super hoc facti fuerit dissolutum: debebat etiam recordari quod, si iuxta decretum Concilii Constantiensis locum futuri Concilii alio tempore celebrandi sine consensu Concilii actu congregati consignare, & nisi ad loca ibidem declarata invitare non posset, nihilominus posset Concilium actu congregatum sine eius consensu dissolvere, vel ad alium locum transferre: debebat non oblivisci Decreti facti super conventione Graecorum, per ipsum approbati, quo cavetur Concilium in Basilea firmiter mansurum, donec Graeci ad portum pervenirent per Concilium Basileense nominandum; si haec ipsa advertisset, nullatenus transtulisset: si igitur transtulit, vel dissolvit, dicitur fecisse de facto quod nullius est roboris, vel momenti. Et tantum de sexta conclusione.

Et quoniam Sacra Synodus Basileensis, quae secundum veritatem nondum dissoluta existit, ex conclusione praecedenti,

cedenti, propter praetensam eius dissolutionem de facto praesumptam a quibusdam creditur in depositione Eugenii tunc Papae, & consequenter in electione Domini Felicis Papae V. perperam processisse, ideo pro isto sit haec conclusio septima & ultima. Suspensio & depositio de ipso Eugenio olim Papa IV. factae per Concilium Basileense, censendae sunt validae atque iustae; Electioque expost facta de Domino Felice Papa V. ad Romanum Pontificium per idem Concilium, censenda est canonica, qui solus pro Romano Pontifice vero & indubitato ab omnibus viatoribus necessario habendus est, eique obedientia praestanda est a cunctis Christifidelibus sub periculo salutis aeternae. Conclusio tria dicit, primum de suspensione, & depositione Eugenii olim Papae IV. secundo de Electione Domini Felicis Papae V. & tertio dicit, quod ipsi Domino Felici omnes ad praestandam obedientiam sunt adstricti; haec conclusio magis ex processu hinc inde facto probationem suam accipit, quam ex scripturis, ad quem processum in hoc passu

ſu debet quilibet ſe referre, cum pro proceſſu Iudicis ſemper praeſumendum eſt, donec probetur contrarium. In hoc autem caſu non poteſt oſtendi contrarium, cum talis iudex protulerit ſententiam, a quo appellari non poteſt; tribunal namque univerſalis Eccleſiae ſupremum eſt in terris ex quarta concluſione, quod refutari non poteſt; per appellationem enim, cum iudex additur, ſuperior ſententia iudicis inferioris contemnitur, nec eius iudicio ſtatur: ſed quis dicat ſententiam univerſalis Eccleſiae praeſertim in iis, quae ſalutis ſunt contemnendam, & Sponſam Chriſti refutandam? nullus niſi hoſtis fidei; quantum tamen poſſibile eſt, & propoſito ſufficit, oſtendi poteſt ſic prima pars concluſionis. Suſpenſio & depoſitio de ipſo Gabriele tunc Eugenio Papa factae per Concilium Baſileenſe, ſunt factae a Concilio generali legitime congregato, nondum diſſoluto ex praecedenti concluſione: Concilium autem generale potuit, & poteſt facere huiusmodi ſuſpenſionem, & depoſitionem, cum etiam poteſtatem habeat ſupra ſummum Pontificem

ex

ex quarta Conclusione, summusque Pontifex tenetur, & est astrictus obedire decretis Concilii generalis, quibus si non obedierit, poterit puniri per Concilium generale ex quinta conclusione. Si ergo ipse Eugenius aliquid huiusmodi commiserit, sicut de facto commisit, propter quod de iure Papatu privari debeat, non dubium quin Concilium generale poterat eum congrua animadversione punire, etiam usque ad sententiam depositionis procedendo, ex quo incorrigibilis apparebat, & hoc patet specialiter ex decreto XI. sessionis, quod incipit *Quoniam frequens*, quod etiam ipse Eugenius approbavit per suam subsequentem adhaesionem, sicut & alia omnia decreta facta & fienda, in quo decretatum est, quod si Papa attentaret dissolvere, vel ad alium locum transferre Concilium Basileense, & infra quatuor menses ab huiusmodi facto non desisteret, quod eo ipso esset ab administratione suspensus, quae administratio deberet esse ad Concilium devoluta; quod si huiusmodi poenam per duos menses animo indurato sustineret, quod
contra

contra ipſum deberet procedi ad privationem incluſive per Concilium generale, quod & factum eſt exigentibus ſuis criminibus, & exceſſibus in proceſſu & ſententia depoſitionis nominatis, quae hic pro expreſſis habentur. Nec videtur obſtare iis C. *Nunc autem* diſt. xxi. ubi videtur dici, quod Concilium non habeat poteſtatem proferendi ſententiam contra Marcellinum Papam de haereſi impetitum, quia ſacrificaverat idolis, quamvis idem Marcellinus thurificationem huiuſmodi confiteretur; verba enim ibi poſita, non ſunt verba Concilii, ſed Nicolai Papae ad Michaelem Imperatorem, & quidquid ibi dicat dictus Nicolaus, veritas eſt quod Concilium non omiſit condemnare Marcellinum de haereſi propter defectum poteſtatis, ſed quia idem Marcellinus per metum coactus fuerat ſacrificare idolis, & erat corrigibilis, & per conſequens non debebat deponi xxiv. q. iii. *Dixit Apoſtolus*, ut dicit Gloſſa in dicto Cap. *Nunc autem*. Certum eſt enim quod de haereſi contra Papam poteſt agi dicto Capite *Si Papa*, in quo caſu Concilium gene-

generale eſt Iudex, ut notavit Io. Andreae, & Archid. C. III. *fidei, de haereticis* lib. VI. & non ſolum in caſu fidei, ſed etiam de quocumque crimine notorio, de quo ſcandalizaretur Eccleſia, poſſet accuſari, & iudicari per Concilium, ut notat Gloſſ. in C. *Si Papa*. Quia ergo ipſe Eugenius erat incorrigibilis, non eſt iſte caſus ſimilis illi; ergo ſequitur quod huiuſmodi ſuſpenſio & depoſitio de ipſo factae per Concilium ſunt cenſendae validae atque iuſtae; igitur prima pars concluſionis vera. Secundae partis vero eiusdem concluſionis veritas, videlicet quod electio de Domino Felice Papa V. ſit cenſenda canonica, ſic oſtenditur; huiusmodi enim electio facta eſt a Concilio generali habente poteſtatem a Chriſto ex tertia concluſione, quod potuit facere huiuſmodi electionem, quamquam electio Romani Pontificis videatur pertinere ad coetum Cardinalium: patet hoc per decretum Concilii Baſileenſis a principio decretatum; in principio enim Concilii Baſileenſis decretatum eſt, quod ſi durante Concilio Baſileenſi contingeret

ret Sedem Apoſtolicam vacare, quod electio Romani Pontificis non in alio loco fieri deberet niſi in Concilio generali, quod decretum etiam ipſe Eugenius per ſuam adhaeſionem approbavit expreſſe, ſicut & alia omnia decreta facta, & fienda. Ex quo ergo Sedes vacavit per depoſitionem, poterat electio huiuſmodi fieri canonice, ac iuſte praemiſſa citatione legitima contra Cardinales, & alios, ſua intereſſe putantes. Sed videtur huic obſtare Cap. *Licet de vitanda, de electionibus*, ubi dicitur *quod Eccleſia Romana ſuperior eſt aliis*, quia ibi ad ſuperiorem non poterit recurſus haberi, quod loquitur de difficultatibus emergentibus circa electionem Summi Pontificis; ſi ergo non poteſt ad ſuperiorem recurſus haberi, ergo nec ad Concilium, & per conſequens non poterit electio fieri in ipſo Concilio. Sed non obſtat hoc, loquitur enim ibi Alexander III. habendo reſpectum ad tempus in quo vacante Eccleſia Romana Concilium generale non erat congregatum, nec ſperabatur congregari; alias illo congregato poſſet ad illud ha-

beri recursus super difficultatibus emergentibus circa electionem Romani Pontificis ar. Cap. *Si duo* LXXIX. *dist.* cum ibi notatur in Gloss. & per. Io. Andreae in *C.* I. *de renunciatione lib.* VI. *In Novella*. Si enim non posset, iniuste intromisisset se Concilium Constantiense de depositione Ioannis XXIII. & de electione Martini Papae, qui a toto orbe pro Summo Pontifice tentus, & habitus est, nec usque nunc per quempiam dictum esse contrarium repertum est. Constat igitur quod ipsa electio facta a Concilio Basileensi de Domino Felice fuit & est canonica, atque iusta; igitur secunda pars Conclusionis vera. Sed pro tertia parte Conclusionis, quod videlicet ipsi Domino Felici ab omnibus Christifidelibus praestanda sit obedientia sub periculo salutis aeternae, probatio ex praecedentibus notissima est; si enim electio eius est canonica ex secunda parte huius conclusionis, igitur pro Summo Pontifice est habendus, & per consequens sibi obedientia a cunctis Christifidelibus est praestanda, pro quo possent adduci multi Canones, & patet hoc

hoc expresse per Extravagantem Bonif. *Unam Sanctam*, quae expresse determinat, quod subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae est de necessitate salutis, & patet per illud Romanorum XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi a Deo, quae autem sunt a Deo ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt sibi ipsis damnationem acquirunt.* Item patet per illud Deuteronomii XVII. ubi dicitur: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis moriatur homo ille.* Facit ad hoc quod dicit Maximus in Epistola directa Orientalibus, quem allegat beatus Thomas in tractatu contra errores Graecorum, cuius quidem Epistolae verba sunt ista: *Coadunatam & fundatam supra Petram confessionis Petri diximus universalem Ecclesiam secundum definitionem Salvatoris, in qua necessario salutis animarum est manere, & ei obedire suam servantes fidem, & confessionem.* Si itaque Ecclesiae universali obediendum est,

ut deductum eſt in quarta Concluſione, ergo & Summo Pontifici ab ea electo, cum Eccleſia univerſalis non videatur errare poſſe circa electionem Romani Pontificis, ex quo hoc videtur eſſe de pertinentibus ad ſalutem.

Nec in hoc caſu adhibenda eſt aliqua neutralitas, ut videlicet nec electo, nec depoſito praeſtetur obedientia; probatio huius patet ex probatione tertiae partis iſtius Concluſionis. Si enim tantum Domino Felici obediendum eſt, & non alteri ſub periculo ſalutis aeternae, non poteſt ibi eſſe aliqua neutralitas; eſſe enim in neutralitate aut eſt eſſe in Eccleſia, aut extra Eccleſiam, cum non detur medium, ſi ſecundum damnabile eſt; unde beatus Auguſtinus in Lib. de Fide ad Petrum dicit: *Extra Eccleſiam enim nemo ſalvatur*, ut in C. *Firmiter* de Sum. Trin. & Fide Catholica; & ſecundum beatum Hieronymum *Quicumque ab unitate fidei, & ſocietate Eccleſiae ſe ſeparaverit, nec peccatis ſolvi, nec coelum ingredi poteſt*, ut ſupra allegatum eſt. Si primum, ſcilicet in Eccleſia ſic eſſe, eſt ſubeſſe Ro-

mano Pontifici, vel ergo uni tantum, vel pluribus: non ſecundum, quia plures ſimul eſſe non poſſunt, quod probatione non eget; ergo ſequitur, quod uni tantum; & ſi uni, vel ergo ab Eccleſia univerſali reprobato, vel ab Eccleſia univerſali electo: ſi primum, hoc eſt reniti univerſali Eccleſiae, & ſubtrahere ſe ab obedientia illius, quod eſt damnabile, ex quarta Concluſione; quidquid enim Eccleſia reprobat, pro reprobato habendum eſt; unde & Evangelium ſi per eam non fuiſſet receptum, recipi non deberet, ut ſupra allegatum eſt; ſi vero ab Eccleſia electo, & hoc eſt ſubeſſe vero Summo Pontifici, & per conſequens non eſſe in neutralitate. Praeterea non poteſt quis ſimul eſſe fidelis, & infidelis, cum Fides ſit virtus quae conſiſtit in indiviſibili, nec ſufficit credere unum articulum, niſi credantur omnes, cum Fides in ſe comprehendat credulitatem omnium articulorum, unde dicit beatus Thomas, ſecunda ſecundae q. v. art. III. *Quod qui credit unum articulum fidei non habet habitum fidei formatae neque informis*;

& paucis interpositis dicit: *manifestum est quod ille qui inhaeret doctrinae Ecclesiae tanquam infallibili regulae, omnibus assentit quae Ecclesia docet. Alioquin si de iis quae Ecclesia docet, quae vult tenet, & quae non vult non tenet, non inhaeret Ecclesiae doctrinae, sicut infallibili regulae, sed propriae voluntati.* Haec beatus Thomas. Constat autem quod non inhaerere doctrinae Ecclesiae damnabile est: ex quo ergo iste casus, de quo sermo est, contingit fidem, quia articulum, quo creditur Ecclesiam esse Sanctam, ergo in hoc casu non potest quis esse neutralis sine peccato infidelitatis & sine periculo salutis aeternae; sicut enim peccatum mortale contrariatur charitati, ita etiam, secundum beatum Thomam, ubi supra, discredere unum Articulum contrariatur fidei; sed charitas non remanet in homine post unum peccatum mortale, ergo neque fides, postquam discreditur unus Articulus fidei. Nec cautum videtur in hoc casu, immo insanum, & damnabile sequi vocem, & tumultum populi, si in contrarium niteretur, cui non est com-

missa defensio fidei, qui audire tenetur, & obsequi, non docere: docendus quippe est populus, non sequendus LXII. dist. *Docendus*. Nec in hoc casu Praelati Ecclesiarum referre se debent ad Summum Pontificem tantum, dicitur enim a quibusdam; videant illi qui diffident de Papatu, cum convenerint in unum, illum sequemur qui sequendus erit, res enim haec fidei est, cuius defensio pertinet non ad solum Summum Pontificem, sed ad omnes Praelatos qui succedunt in locum Apostolorum. Unde & Paulus non restitisset Petro in faciem, qui fuerat eo superior in administratione, nisi fuisset ei par in fidei defensione, ut dicit beatus Thomas secunda secundae q. XXXIII. art. IV. ad secundum argumentum. Nec in hoc casu utilis est dilatio ad adhaerendum uni parti, immo damnabilis; aut enim expectatur victoria unius partis, aut clarior informatio de veritate quaestionis in huiusmodi differentia sic exorta, sed utrumque erroneum est. Numquid enim si pars habens iniustam causam vincere videtur, licet in veritate non vinceret,

quia fides semper invicta manebit, sicut & Ecclesia cum vinci creditur sub pressuris, & tribulationibus, non vincitur, sed vincit, eidem adhaerendum esset? absit; quis enim diceret trucidatoribus Martyrum, & occisoribus Apostolorum, qui Fidem conabantur extinguere adhaerendum esse, etsi vincere videbantur, licet non vincebant, sed & trucidatos efficiebant victores, plusque trucidantes affligebantur quam trucidati, quibus fuit una mens, ut eos nec violentia frangeret, nec ira subverteret, nec a devotionis obsequio timor mortis cohiberet, ut dicit beatus Cyprianus in Epistola de laude martyrii. Nunquid si princeps, aut populus alicuius terrae a fide, veritate, & doctrina discedere vellet, vel actu discederet, sequendus esset? absit. Si autem in hac re dilatio eligitur ut habeatur clarior informatio, nonne hoc est se ostendere esse dubium in fide? dubius autem in fide, haereticus est; unde enim poterit expectari clarior, certior, & verior informatio, quam ab Ecclesia universali, cui Sancti Doctores sua dicta submit-

mittebant tanquam regulae infallibili, quae errare non poteſt, ex prima Concluſione? Si alibi recepta fuerit, ſuſpecta erit: Moneta namque recepta non de publica officina ſuſpecta eſt, nec de bono metallo, & iuſto pondere praeſumitur fabricata, ſic ſuſpecta erit doctrina, quam expectant ſub neutralitate ſtare volentes, ſi eam receperint non de publica officina univerſalis Eccleſiae. Nonne moneta de falſitate ſuſpecta afferenda eſt in publicam officinam, ut probetur? Nonne ſi Doctores Catholici in materia Fidei ſibi ipſis contradicerent, ad Eccleſiam eſſet haec differentia referenda, cuius determinationi ſtandum eſſet? Eſtne alicui in caſu noſtro, ſicut & in aliis, hominibus plus credendum, quam Chriſto Filio Dei dicenti Petro: *ſi non audierit dic Eccleſiae*, tanquam tribunali ſupremo, ubi eſt doctrina publica indeviabilis, & Sancta, cui nullus niſi hoſtis fidei contradicere poteſt? Non eſt ergo neutraliſandum in hac re, cum ſit res fidei; hoc enim eſt claudicare ad utramque partem more prophetarum Baal, quibus

bus dictum est per Heliam Prophetam III. Regum XVIII. *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Sed quid illis claudicantibus acciderit scriptura ibidem testatur, quia interfectio in torrente Cyson, & quod illis in corporibus accidit, formidandum ne id eveniat neutralizantibus in animabus eorum, & praesertim quibus cura animarum a Domino est commissa; hoc est enim esse neque calidum neque frigidum, Apocalypsis III. *Utinam esses calidus, aut frigidus; sed quia tepidus es & nec calidus, nec frigidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Non recta quippe est intentio neutralitatis viam amplectantium & dicentium: cui parti alii adhaerebunt, illam sequemur: si de recte sapientibus intelligeretur recte dictum esset; non haec locutio sufficit ad professionem fidei Christianae, juxta dictum beati Gregorii in Homelia dicentis: *In plebe Christiana sunt nonnulli, qui Christum ideo profitentur, quia cunctos Christianos esse conspiciunt. Nam si Nomen Christi in tanta gloria*

ho-

hodie non esset, tot professores Christi Ecclesia non haberet: non ergo ad probationem Fidei vox sufficit, quam defendit a verecundia professio generalitatis. Haec ibi. Abiicienda est ergo opinio de hac ipsa neutralitate propter haec quae dicta sunt, ab omnibus qui videri & esse cupiunt Fidei Christianae cultores, vitamque optant promereri beatam, quam nobis praestet Deus per saecula benedictus.

Et haec est, optime Pater, sententia & professio veritatis nostrae, quam ex divinis, & Canonicis collegimus scripturis, & quam in hac Universitate pro Fidei sanctae custodia appositi, & regiae Maiestatis stipendiis foti, sub umbra protectionis vestrae quiescentes, cunctis, qui zelum Christianae Religionis habent, quibusque salus cordi est, & potissimum huic inclyto regno amplectendam, tenendam, & profitendam persuademus, & praedicamus; ne, quod Creator omnium & Redemptor avertat Deus, ut verba in exordio dicta recenseamus, ab utero Sanctae Matris Ecclesiae per Concilium generale praedictum vera-

veraciter repraesentatae aberrantes aliter, quam praediximus, de ipsa sentiendo ad devia, & falsa prolabi videamur: quoniam haec est sola, & unica Mater nostra, per quam regeneramur ad vitam, extra quam salus esse non potest; & ob hoc si quis eam deseruerit, si quis eam docentem tanquam veritatis Magistram non audierit, ut ad falsa corruat, falsa sentiat, & loquatur necesse est, Propheta testante: *Erraverunt ab utero, loquuti sunt falsa*. Quamobrem cum haec veritas talis sit, ut nulla ratione taceri debeat, aut possit, nos eam taliter ut praemisimus profitemur, oramusque Altissimum, & Spiritum veritatis, ut cuncti Ecclesiarum Praelati, & Fidei columnae, quibus est commissa Fidei defensio, tanto ferventiore spiritu, & promptiori animo eamdem prosequantur, quanto maiori suarum, sibique commissarum animarum involverentur periculo, si iam requisiti obmutescerent, aut quibuscumque suspensionibus ulterioribus indulgerent. Et ne sensui proprio inniti videamur, haec scripta nostra Ecclesiae universalis, quatenus necesse est, & demum

Pater-

Paternitatis veſtrae iudicio, in quo viget divini, & humani iuris peritia, corrigenda, limanda, & emendanda ſubmittimus, parati in iis, quae minus oculate digeſta forent, ſentire, credere, & tenere, ſicut ſentit, credit, & tenet univerſalis Eccleſia, in qua error ſubeſſe non poteſt.

F I N I S.

LITTERA
FELICIS PAPAE V.
AD
REGEM FRANCIAE.

Cariſſimo in Chriſto filio Carolo *Regi Francorum Chriſtianiſſimo ſalutem.*

QUibus ex cauſis oblatam nobis per ſacrum generale Baſileenſe Concilium Romani Pontificii praeſidentiam ſuſceperimus per alias litteras noſtras Tuae Sublimitati plene contulimus; nunc autem intelligentes praelatos & magnates Regni ac dominiorum tuorum ad tuam ſerenitatem ſupplices libellos dediſſe, teque cum eis ſuper facto Eccleſiae deliberationem capturum, iterum tibi non ſolum ſcribere, ſed oratores noſtros ad tuam excellentiam duximus deſtinandos, & venient ad te venerabilis frater noſter Franciſcus Epiſcopus Orbinenſis legatus, ac dilecti filii &c. &c. Nuntii & Oratores noſtri, quibus

quibus nonnulla commiſimus tuae ſerenitati dicenda, quae Univerſalis Eccleſiae ſtatum, & Romanae Sedis reſpiciunt & concernunt. Quare velis eiſdem, aut ex eis quatuor in iis quae tibi noſtro nomine dixerint plenam dare credentiae fidem, eoſque ut ſperamus ad nos votorum expeditos remittere. Namque in hoc tribulationis tempore tanto te convenit univerſalem Eccleſiam in rem tuam pro melioribus adiuvare praeſidiis, quanto res de qua agitur, niſi bene adminiſtretur, maius eſt illatura diſcrimen. Agitur modo, ut vides, de iuſtitia Sacri Concilii, de auctoritate Eccleſiae, de fide & unitate Chriſtianorum: quas res etſi etiam alios omnes Principes, tum tuam excellentiam juvare decet, quae regno illi amplo & nobili praeſidet, quod poſt acceptam ſemel Chriſti fidem monſtris haereſum ſemper caruit, quodque propter ipſius conſtantiam in adverſis, & propter defenſionem & exaltationem Fidei Chriſtianiſſimum non indigne meruit appellari; cuius Reges ſacrorum Conciliorum generalium auctoritatem venerari

nerari ſemper & magnifice ſunt ſoliti, ſicut magni Conſtantienſis Concilii tempore claruit, cuius ſententiis & cenſuris numquam in Regno Franciae defuit executio, nec audivimus umquam adverſus generalium Synodorum decreta fuiſſe quidquam per Reges Franciae defenſatum. Quorum veſtigiis tua quoque ſublimitas his temporibus inhaerens ſacro Baſileenſi Concilio ſemper adhaeſit, & favit, ipſumque repraeſentare Univerſalem Eccleſiam ulla ſine haeſitatione cognovit. Verum, cariſſime fili, cum noſtri ipſius Concilii, quod in annis jam pluribus veneratus es, auctoritas oppugnetur, opus eſt ut tua inſignis exurgat virtus, tua probitas oſtendatur, tuuſque animus, qui ſemper optimus fuit, jam tandem ſe declaret, ut per tuum exemplum alii etiam Chriſtianitatis Principes adhaereant veritati. Etenim cum magna in tuo regno doctiſſimorum Praelatorum copia ſit propter ſtudium litterarum, quae plurimum in Gallia clarent, multi Chriſtianitatis Principes in te oculos ſuos vertunt, te intuentur, te expectant, facturi pro magna

gna parte quod tu ipſe in huiuſmodi negotio feceris ; in qua re magna laus eſt tua, gloriam & magnum decorem impoſuit Deus ſuper Regnum tuum, quod ut perpetuo teneas & adaugeas, cor meum tandem filialis devotionis exhibitione laetifica, & potentiae tuae ſubſidio in iis quae ſunt ad ſalutem Eccleſiarum, veritatis & juſtitiae defenſionem iniuncti nobis oneris allevia gravitatem. Quod ſi feceris & tu exinde apud aeternum Regem temporalis proſperitatis augmentum, & perennis coronam gloriae promereberis ; & nos in te gaudentes benedictionis filium, & ſalutis repperiſſe miniſterium, quae ſecundum Deum tibi ad honorem & commodum redundare ſenſerimus, paternis affectibus proſequemur. Datum &c.

LITTERA FELICIS AD IMPERATOREM.

Cariſſimo in Chriſto filio nobili viro FRIDERICO *Duci Auſtriae in Romanorum Regem electo ſalutem*.

SUperioribus diebus dum adhuc in minoribus ageremus audita morte clarae memoriae Alberti Romanorum Regis patrui tui, qui ſicut accepimus V. Kalendas Novembres apud Ungariam viam univerſae carnis ingreſſus nequitiam ſeculi huius evaſit, alta cor noſtrum maeſtitia & amaritudo percuſſit, tum quod illum pro ipſius excellenti virtute & ſcientia, atque in omnes placabilitate, ſingularitate colebamus, tum quod eo tempore rebus humanis ereptum ipſum cernebamus, quando Chriſtiano populo neceſſarius exiſtebat, tum quod videremus univerſalem Eccle-

Ecclesiam diversis afflictionibus, calamitatibus, & maioribus in dies augeri procellis. Magna spes nobis erat per singularem illius industriam has turbationes excindi, cognita etenim nobis erat in commune bonum intentio, & animus suus erga Sacrum Basileense Concilium clare perspectus, quod ipse semper universalem Ecclesiam reprehesentare cognovit totius conscius veritatis, & nisi illum defensio Ungarici Regni diutius occupasset, numquam, ut faciunt, hostes Ecclesiae cornua erexissent, unde fuit illius obitus toti Christianae Reipublicae luctuosus, ac nobis gravis & permolestus, qui magnos & iustos illius cogitatus imperfectos relinqui, Ecclesiamque eo magis turbationum fluctibus traditam iri cernebamus, cuius validus & perutilis protector occubuisset; quae res postea quoque nobis ad Romanum Pontificium assumptis eo durior atque acerbior esse coepit, quo pro suscepto Apostolicae servitutis officio ipsius bonum efficacius perquirere obligamur. Sed abstulit illum forsitan Dominus ante tempus, ut mundus in ma-

litia poſitus eius prudentia noſceretur indignus, & bona per illum excogitata, adhuc exurgentibus populi iniquitatibus, aliquantiſper in longius traherentur. Non tamen potuit Dominus miſericordiae ſuae viſcera diutius continere quum gregem nobis commiſſum, & nos cum eo conſolationis ſuae reficeret ubertate, ut ſic nos tanto ferventius in ſui amore accenderet, quanto ipſe evidentius ſuam nobis gratiam exhibet. Etenim cum illius clariſſimi principis eſſemus obitu conſternati, afflicti, & moeroris nebulis involuti, utpote illo privati, cuius conſilio & praeſidio adiuti longe levius, longeque melius miniſterium nobis iniunctum ferre & adminiſtrare confidebamus, non tum nobis conſolationis ſuae Dominus gratiam denegavit. Ecce enim, clara virtute Fili, convenientes in unum Venerabiles fratres noſtri, & dilecti filii nobiles viri Romani Imperii Electores poſt diligentem tractatum, quem de ſucceſſore Imperii habuerunt, oculos ſuos in te unum inclinaverunt, teque unum, ut veraciter intelligimus, in Romanorum Regem unanimi-

nimiter & concorditer elegerunt. Itaque ille inter eos creditur extitiſſe qui facit in Domino unanimes habitare; ubicumque duo vel tres in ſuo nomine congregantur in medio eſt eorum, & de quacumque re in idem ſenſerint fiat illis. Oh igitur mirificantem miſericordias ſuas Dominum! Oh exuberantem divinae maieſtatis clementiam! Quis hic cum Paulo non exclamet: *O altitudo divitiarum ſapientiae & ſcientiae Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viae eius?* Non quidem extincto Alberto reſpublica, ut tenebamus, ex toto decidit. En adhuc tu, Friderice, aderas qui reſtaurares Imperium, qui defenſares Eccleſiam, qui fidem Catholicam exaltares. Nos quidem cum audivimus Electores praefatos in Francofurdium ad electionem celebrandam conventuros eſſe, oratores noſtros illuc miſimus, qui eis accuratiſſime ſuaderent ut princeps eligeretur qui tanti Imperii molem perferre poſſet, & anteceſſori ſuo digne ſuccederet, nec alium quam te in nobis animus offerebat, quem unicum dare

advocatum & protectorem Ecclesiae gestiebamus, scientes illa in te concurrere quae hominem Deo acceptum reddunt fore Fidei fundamentum, Iustitiae zelum & affluentiam Pietatis; quodque in seculo plurimum valet, affabilitatem tuam omnes commendant, beneficentiam probant, & extollunt spectatae industriae maiestatem; ob quas causas Omnipotenti Deo gratias agimus, qui te voluit Romani culmen tenere Imperii cum maxime oportebat. Collaudamus & ipsos Electores, qui te vere tanto fastigio dignum & aptissimum elegerunt, & quem sibi potissimum desideraret Albertus ipse succedere. Congratulamur itaque tibi in hac tua, ad quam vocatus es dignitate, gaudemusque tibi plurimum quoniam iuxta cor nostrum te Deus elegit imperaturum, qui ut Cleri amator, & iustitiae cultor existis, sic veritatis & Catholicae Fidei defensor eris, ac tum longe solidiori gaudio & maiori laetitia perfruemur cum te acceptasse ministerii gubernacula cognoscemus, ad quam rem ut te toto praepares animo desidera-

mus,

mus, ac per viſcera miſericordiae Domini noſtri Ieſu Chriſti te obſecramus ne diutius, vacante imperio, diverſorum hominum creſcat audacia, maiores pullulent haereſes, & ampliora ſcandala ſuſcitentur. Accepta ergo imperium ut Eccleſiae proſis, ſume honorem iſtum & onus ut Deo ſervias creatori, utque nos eius Vicarium hoc in tempore fluctuantis Eccleſiae iuves. En quid aliud Albertum illum ex te velle arbitraris, niſi ut ſuſcepto Romano Imperio illud repares ac reformes, Univerſalem Eccleſiam honorifices, ut Baſileenſe Concilium, & eius, immo verius Univerſalis Eccleſiae decreta manuteneas, ut ſalvum-conductum quomodo ipſe conceſſerat iam confirmes, ut omni favore patres eiusdem Concilii proſequaris, cunctaſque perſonas quas ipſa Sancta Synodus veneratur venereris, & quas reſpuit reſpuas, utque pro veritate teque primum declares, ſicut & ſupervicturus ipſe feciſſet. Age igitur bono animo, oblatum tibi imperium ſuſcipe, teque in eius adminiſtratione magnanimum virum, ut es, conſtantemque oſten-

de. In hac vero divisione qua vides Ecclesiam perturbari nemo tibi quam veritas carior fiat; ille tibi magis sit qui ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* Deum verum sequeris, Christum sequeris. Verum autem nunc te scito amplecti quum determinationes generalium suscipias Synodorum, firmiter credens eos omnes qui generalibus Conciliis non obediunt, quantumcumque se nominent Christianos, institutis Dominicis obviare, & graviter oculos Divinae Maiestatis offendere, sicut in magna Constantiensi Synodo attestatur, & sacrarum probant testimonia Scripturarum. Cum ergo fide imperium suscipe, cumque proposito electioni praesta consensum; & licet idipsum Imperium modernis temporibus valde afflictum & conquassatum cernas, non tum idcirco differas acceptare, quin promptius te illi offeras libentius tuam illi solicitudinem praestans, quo te ipsum necessarium magis esse cognoscis; nec te deterreant labores, etsi immanes futuri videantur, quoniam eo erit apud Deum maius praemium quo laboriosius fuerit obse-

obsequium. Compatere tuo Imperio sicuti & nos compassi sumus Ecclesiae, qui licet grandiori aetate premeremur, licet libenter in electa nobis quiete perseverassemus, tamen adacti fuimus onus subire ut audivimus a nobis per Ecclesiam flagitari servitium, quod nequicquam potuimus denegare. Sed coëgit nos miseratio eius, & tamquam traxit ut ad tuendam auctoritatem Ecclesiae, quam ipsa Sancta Synodus reprehesentat, ut non solum bona, quietem nostram, & corpus, sed & spiritum ipsum pro ea traderemus. Qualis enim ad nos Ecclesia venit, quam lacerata, quam afflicta, quam magna indigens reparatione! Trementes animum induximus, viresque nos admonebant ne immensum onus subiremus, verum regendam putavimus quum eam cognovimus magis tribulatam. Quid igitur tu Fili efficies qui iuvenis, qui robustus, quique ad laborem aptissimus exstas? Age sic te florentem aetate & viribus validum amor trahat Imperii protegendi, sicut nos senio graves & viribus effoetos dilectio duxit Ecclesiae ut nostris tandem

tempo-

temporibus, quantum poſſibile fuerit, Eccleſia & Imperium ſubleventur. Decet enim Deo amabilem Principem firmam habere erga Eccleſiam voluntatem, & ipſius protegendae deſiderium, ſic enim vere cor habebis in manu Dei, & Imperium cum pace multorum annorum, ut tua iuventus promittit, ad ſalutem Eccleſiae & bonum Reipublicae gubernabis. Nos autem ſicut te minorem minores dileximus, ſic maiorem maiores paterna proſequi charitate intendimus, tibique nunc in hac tuae novae dignitatis aſſumptione omnes poſſibiles praeſtare favores ſperantes, & coniuncta tua Imperiali pietate cum noſtra Sacerdotali auctoritate conabimur ut haereſes jam tandem extirpentur, reparentur mores, decus in Eccleſia floreat, cultus Chriſtianae Fidei amplificetur, & inimicis devictis, erroribuſque detectis in pacis pulcritudine ſedeat, & in pace opulenta quieſcat populus Chriſtianus. Datum &c.

Super

Super consultatione Reverendissimi in Christo Patris & Domini Domini Archiepiscopi Salzeburgensis, necnon Apostolicae Sedis Legati, deliberatio & Consilium Studii Viennensis 1442.

IN primis dicimus quod quantum de Iure & de facto hucusque cognoscere potuimus, non est nobis aliud visum quam quod Sacrum Basileense Concilium sit legitime incoatum & continuatum, ipsumque annis pluribus ab universo orbe, nemine contradicente, pro generali Concilio reputatum: Et nec usque modo aliquid adeo probabiliter de eius dissolutione ex dictis aut scriptis intelligere potuimus a quocumque sit, ut animi nostri ad id merito moverentur. Unde & pro constanti tenemus ipsum adhuc iuribus & auctoritatibus subsistere, & suam semper habuisse prosecutionem, ac ipsum nondum dissolutum nec translatum esse, vel fuisse legitime, rationibus quae ad nosttam audien-

dientiam pervenire potuerunt, non obſtantibus quibuſcumque: Unde & ipſum tanquam generale Concilium univerſalem Eccleſiam repreheſentans recognoſcimus, amplectimur, & reveremur, nec aliud ſecurius & ſine periculo a quocumque faciendum & ſentiendum exiſtimamus, donec cauſa tam clare de ſua diſſolutione conſtiterit, quam indubitanter de ſua legitima incoatione & continuatione univerſis conſtabat. Unde quum quaeritur cui parti diſſentientium adhaerendum ſit, liquet ex dictis reſponſio noſtra, quod indubitanter Sacro Concilio, quia optamus homines eſſe in hac re quales ipſi ſumus.

Secundo videtur nobis quod in Dieta futura Francofordienſi rationabiliter non debeat aut poſſit eſſe difficultas de declaratione pro altero contendentium de Papatu, cum pro olim dicto Eugenio non liceat fieri declarationem, immo nec eſſet alicuius roboris, ſi in tali Dieta fieret aut attemptaretur, praeſertim cum pro condemnato haeretico per orbem diffamatus exiſtat, cui etiam niſi canonica purgatione praemiſſa, & legi-

legitima cauſae diſcuſſione a nullo foret fideli obediendum, etiamſi Concilium hodie deſineret praeſidere, ſi etiam nullus alius pro Summo Pontifice in Eccleſia Dei actu ſe gereret, aut praetenderet ſibi de Summo Pontificatu jus quaeſitum.

Tertio videtur expedire, immo neceſſarium fore, quod Regia Maieſtas cum Reverendiſſimis Patribus, & Sereniſſimis Principibus Romani Imperii Electoribus, & aliis ibidem convenientibus omni conamine & totis viribus providere ſatagant, ut Sacrorum Conciliorum auctoritas inconcuſſa conſervetur, quae pro bono regimine & ſalubri ſtatu militantis Eccleſiae non minus neceſſaria invenitur, quam ſit mortali vitae panis & aqua. Quomodo enim alias deordinationes exortae in Eccleſia, & praeſertim Summorum Pontificum exorbitantiae remediari poſſent, quum non habeant in terris, nec recognoſcant ſuper ſe iudicem niſi Concilium generale Univerſalem Eccleſiam reprehesſentans, & ut etiam hoc animo ſincero recognoſcant, diſſenſiones etiam prin-

principum aut terrarum ſine ſanguinis effuſione tolli poſſent. Unde propter multas rationabiliſſimas cauſas Spiritus Sanctus per organum Sacri Concilii Conſtantienſis militanti Eccleſiae alto & benigniſſimo conſilio ſuo providendo decrevit deinceps pro vitiorum extirpatione & morum reformatione in capitibus & in membris, de decennio in decennium generalia Concilia ſemper futuris temporibus eſſe celebranda. Et ſuper hoc etiam Summi Pontificis poteſtatem iuſte & rationabiliter ſuper retractatione huiuſmodi decreti limitavit, ut quilibet Chriſtianus ſciat ſemper Concilium, quod ſupremus eſt in terra iudex, vel actu exiſtere, aut terminum certum ad ipſum pendere.

Cum hoc etiam cavendum eſt diligenter ne auctoritas aut reverentia Summis Pontificibus debita quovis modo violetur, & hoc optime fieri poteſt cum utique ſtatus Concilii & Papalis dignitas ſibi debita dignoſcatur habere ius & poteſtatem; Iuſtitiae autem eſt tribuere unicuique quod ſuum eſt.

Quarto quod adviſamenta certa in Fran-

Francofordienſi dicta proxime praeterita ſuper gravaminibus Germanicae nationi incumbentibus noſtro iudicio non expediunt, neque ſufficienter provident, ſicut nec ſuum poſſunt ſortiri effectum pro futuro, etiamſi quibuſcumque fuerint ſponſionibus ac litteris permunita, cum praedeceſſor in his ſucceſſorem obligare non poſſit, quia par in parem non habet imperium. Inſuper praeconizatur iam praetenſis olim Eugenii Bullis quod ſoli Deo dignoſcitur competere quod ipſe ſuper totam Eccleſiam congregatam, & diſperſam plenariam habeat auctoritatem. Quomodo talis obligabitur ad ſervandum promiſſa, qui putat quod nec a tota Eccleſia ſibi dici poſſit: Cur ita facis? Quod nefas eſt hominem mortalem ſibi uſurpare. Hoc enim Sanctus Iob ſoli Deo tamquam proprium attribuendum iudicavit, niſi forte, quod nemo crediderit, maior fuerit in olim Eugenio auctoritas & Sanctitas, quam in Apoſtolorum principe Petro primo & Summo Pontifice, quem non congregata Eccleſia, ſed unus de Eccleſia in facie Antioche-
nae

nae Ecclesiae coram omnibus iuste ausus est reprehendere, Paulus scilicet Apostolus, qui de se ait ad Galatas II. *Cum autem venisset Cephas in Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*. Et infra dicit: *Sed cum vidissem quod non recte ambularet ad Veritatem Evangelii dixi Cephae coram omnibus: Si tu cum Iudaeus sis, gentiliter tamen & non Iudaice vivis, quomodo gentes cogis iudaizare?* Videndum insuper bene foret si haec quae in eisdem advisamentis in fine concluduntur Ligae principum expedirent, si honestatem Germanicae nationis condecerent, si notam cuiusdam inobedientiae non saperent, aut verius cuiusdam inauditae singularitatis. Si autem in processu temporis Papa forte ea revocante, horum occasione bella intestina forensibus periculosiora subintrarent Germanicam nationem, uno processibus huiusmodi obediente, altero vero minime, sed satis videretur in hoc esse provisum nationi Germanicae, si Concilia generalia secundum Concilii Constantiensis decreta continuabuntur & in au-

ctori-

ctoritate tenebuntur, quia multa advisata in Francofordia, Basileae sunt decretata.

Quincto visum est nobis quod praefata pax Ecclesiae, & reductio totius gregis Dominici ad unum pastorem, & etiam in materia Fidei plena pax procurari non possit nisi in Concilio generali ab omnibus, aut majori parte Christianitatis laudato, quia ea quae in Dietis fiunt aut facta sunt, auctoritate carent, nec aliquem Christianum iure ligare possunt. Ideo omnino videtur quod difficultates Ecclesiae tolli non possint ad praesens nisi in Sacro Basileensi Concilio, cum nec ipsum transferri possit eo nolente, nec aliud institui queat eo existente.

Errores inclusi in litteris missis ab olim Eugenio *Universitati Parisiensi contra Sacrum Basileense Concilium, sustinens veritatem in Concilio Constantiensi declaratam, scilicet quod generale Concilium universalem Ecclesiam repraesentans, potestatem immediate a Christo habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis obedire tenetur in his quae pertinent ad Fidem, extirpationem schismatis, & generalem reformationem Ecclesiae in Capite & in membris.*

Error primus.

ECclesiae unitas impietate Basileensium violatur, sustinendo doctrinam de potestate Conciliorum universalium supra Romanum Pontificem: cum aut duas supremas potestates introducunt in Dei Ecclesiam, aut si unam tantum esse contendunt, auctoritatis summum apicem a Sede Apostolica evacuare conantur, quod & Evangelio, & Fidei hactenus observatae, ac omnium

nium ſanctorum doctrinae, & verae rationi penitus contradicit.

Reſponſio.

In iſto errore notatur quod doctrina Coſtantienſis & Baſileenſis Concilii ſuperius praemiſſa eſt impia, & quod violat Eccleſiae Unitatem; quod eſt falſum, erroneum, & blaſphemum, nam hoc eſſet condemnare Eccleſiam Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam iam in duobus Conciliis tam ſolemniter congregatam, nec illa Doctrina praedictorum Conciliorum ponit duas ſupremas poteſtates ſeparatas in Eccleſia, ſed unam quae eſt Univerſalis Eccleſiae ſicut totius, & Romani Pontificis ſicut partis principalis in ipſo toto, unde nec a Sede Apoſtolica evacuat ſupremitatem auctoritatis quae competit Romano Pontifici, ſicut membro principaliori & eminentiori in corpore Eccleſiae, & capiti miniſteriali ipſius.

Error secundus.

Romanus Pontifex ſuper univerſalem Eccleſiam conciliariter congregatam plenariam obtinet poteſtatem.

Reſponſio.

Iſtud eſt erroneum contra praedictam veritatem declaratam in Concilio Conſtantienſi, nam illa veritas ponit, quod Concilium habet immediate poteſtatem a Chriſto, cui etiam ipſe Romanus Pontifex obedire tenetur, & inſuper ibidem dicitur quod ſi ipſe Romanus Pontifex ſtatutis & praeceptis Concilii generalis legitime congregati contumaciter obedire contempſerit, condignae poenitentiae ſubiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris remedia, ſi opus fuerit, recurrendo.

Error tertius.

Quod ſuſtinentes praedictam doctrinam Conſtantienſis & Baſileenſis Concilii

cilii ſunt corruptores Evangelii, & deciderunt in hanc impietatem ea ratione quod intelligentiam Scripturarum non a Catholicis, Sanctiſque Doctoribus, ſed ab Haereſiarchis, atque ſchiſmaticis vendicare voluerunt.

Reſponſio.

Iſtud eſt erroneum & blaſphemum contra veram doctrinam Eccleſiae Catholicae, quae doctrina eſt fundata in Textu Evangelii, & doctrina Apoſtolorum & antiquorum univerſalium Conciliorum quam Romani Pontifices profiteri debent, & in dictis Sanctorum Auguſtini, Hieronymi, Gregorii, Ambroſii, Cypriani, & aliorum Doctorum.

Error quartus.

Quaecumque geſta Synodalia in quibuſcumque plenariis Conciliis tam in pertinentibus ad Fidem quam in aliis nihil habent virtutis aut roboris, ſi Romanus Pontifex ea non velit confirmare, qui de ipſis Conciliis ſemper aucto-

ritative iudicare poteſt ex plenitudine poteſtatis.

Reſponſio.

Iſtud eſt erroneum dum deſignat quod nolente aut non conſentiente Romano Pontifice Concilia plenaria, etiam licet ſint congregata & celebrata legitime, ac quaecumque definita, decretata, & declarata per eadem, etiam in pertinentibus ad Fidem, ſalutem animarum, & unionem Eccleſiae, ac eius generalem ſtatum, nihil habent virtutis, aut roboris, & quod ipſe Romanus Pontifex tamquam ſuperior ad ipſa Concilia & iudex ſuper ea, ſemper poteſt iudicare de ipſis. Iſta evidenter repugnant illi veritati dicenti, quod ipſa Concilia habent immediate poteſtatem a Chriſto, & quod Romanus Pontifex etiam obedire illis tenetur in his quae pertinent ad Fidem.

Error quintus.

Baſileenſes praedictam doctrinam de ſupremitate Conciliorum generalium ſuſti-

ſtinentes, niſi in clariſſimo ſolis iubare caeci eſſe perſiſtant, coguntur advertere quanto errore tenentur, & in illis dubitatur impleri: Haereticum hominem confundi poſſe, emendari non poſſe: dicit enim Apoſtolus: Haereticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem devita.

Reſponſio.

Iſtud eſt erroneum & blaſphemum quod imponit haereſim Univerſali Eccleſiae non ſolum in Baſileenſi, ſed etiam in Conſtantienſi Concilio congregatae; ſi enim propter hanc doctrinam Concilium Baſileenſe eſſet haereticum, quod abſit, etiam Concilium Conſtantienſe fuiſſet, quod eandem doctrinam dogmatizavit & declaravit; & Sedes Apoſtolica quae eiſdem Concilis adhaeſit, & ea legitima atque Catholica etiam pro eo tempore in illis decretata reputavit, eſſet etiam de haereſi maculata, ſicque error praedictus articulum *unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam* evidentur offendit.

Error sextus.

Basileenses sustinentes doctrinam praedictam, ex impietate magna auctoritatem Apostolicae Sedis quae iam mille & quadringentis annis intemerata permansit, nostris diebus temerare & mutilare contendunt, & submurmurant: Nos, inquiunt, olim Eugenium non potuisse Concilium Basileense submovere & Ferrariense substituere.

Responsio.

Erroneum est quod per Doctrinam Conciliorum Constantiensis & Basileensis temeretur & mutiletur auctoritas Apostolicae Sedis, sicut nec temeratur ex dicto Zosimi Papae dicentis: *contra statuta Patrum, nec huius Sedis valet auctoritas*, nam auctoritas Sedis non est in hoc quod Romanus Pontifex habeat repugnare Conciliis plenariis & legitimis, sed habet se illis conformare & eis obedire in his quae pertinent ad Fidem &c. & quoniam illa submotio

sive

ſive diſſolutio praetenſa Concilii Baſileenſis, & ſubſtitutio Ferrarienſis eo modo quo facta eſt, ſine conſenſu ipſius Concilii Baſileenſis ex plenitudine poteſtatis, ut praetendebatur, cum adiectione cenſurarum & poenarum in illos qui manerent &c. evidenter repugnat veritati declaratae in Concilio Conſtantienſi, idcirco merito reprobantur; nec valet ad propoſitum quod allegatur de beato Leone contra Epheſinam Synodum ſecundam, quae non erat Synodus, ſed eſſe deſierat propter manifeſtam violentiam, ſicut patet in geſtis Calcedonenſis Synodi & Epiſtolis beati Leonis.

Error ſeptimus.

Oportet decretum a patribus obedientiae, Ioanne vigeſimo tertio tempore ſchiſmatis, Conſtantiae editum Sanctorum Doctrinae ac Fidei convenire, & quod de Sedis Apoſtolicae auctoritate ſuper univerſam Eccleſiam docuerunt unanimi ſententia & Fide comprobare, quoniam quicquid veritati iſti

catho-

catholicae contradicit, alienum a Fide esse necesse est. Necesse est ergo talem illi decreto intelligentiam dare, ut veritati huic catholicae sine haesitatione concordet; quod si ad discrepantem ab hac veritate intelligentiam protrahatur, sicut Basileenses pro sua impietate contendunt, necesse est omnes huiusmodi sensum existimare falsissimum, & veritati catholicae repugnantem.

Responsio,

Istud est erroneum quod condemnat veritatem in Constantiensi Concilio declaratam, quod quidem etiam tunc erat verum Concilium Catholicam Ecclesiam repraesentans, quoniam ipsam veritatem declaravit, sicut patet per determinationem Sedis Apostolicae, & Papae Martini V. postea factam, approbante Concilio ex omnium obedientia congregato, ac etiam dudum renovatam in Sacro Concilio Basileensi tento pro vero & legitimo Concilio & a Sede Apostolica, & ab omnibus de obedientia Romanae & Universalis Ecclesiae. Mani-

Manifestum est autem quod praefatus error hanc veritatem & Doctrinam Catholicae & Apostolicae Ecclesiae condemnat, dum notat eam esse a Fide alienam & falsissimam, ac veritati Catholicae repugnantem, nisi ita intelligatur, quod Romanus Pontifex habet auctoritatem & potestatem super universalem Ecclesiam tam dispersam quam congregatam in plenariis, sicut illud dogma superius expressit, etiam designando quod semper possit de ipsa Universali Ecclesia & plenariis Conciliis auctoritative, & ex plenitudine potestatis iudicare, nec habeant aliquam virtutem Canones, Definitiones, Declarationes, ac quaecumque gesta ipsorum plenariorum Conciliorum, si Romanus Pontifex illis repugnare, aut ea non confirmare voluerit. Et cum tali sensui non possit concordare illa declaratio veritatis in praedictis Conciliis Constantiensi & Basileensi habita, quae declarat ipsa Concilia Universalem Ecclesiam repraesentantia habere potestatem a Christo immediate, & quod eis Romani Pontifices obedire tenentur in his quae pertinent

tinent ad Fidem, & ſi contumaciter obedire contempſerint, niſi reſipiſcant, debent condignae poenae ſubjci, & debite puniri, ad alia etiam iuris remedia, ſi opus fuerit, recurrendo: clare apparet quod illud Dogma condemnat praefatam veritatem & Doctrinam Eccleſiae Catholicae & Apoſtolicae.

Com-

Compendium quoddam pro Iustificatione Concilii Basileensis contra olim EUGENIUM.

IUxta beati Cypriani Martyris sententiam in Epistola sua ad Antonium, quam recitat beatus Augustinus in Epistola ad Vincentium Donatistam: Episcopatum tenere non potest qui Episcopus prius factus a coëpiscoporum suorum & Ecclesiae unitate recedit. Sequitur infra: qui igitur nec unitatem spiritus, nec coniunctionem pacis observat, & se ab Ecclesiae vinculo, atque a Sacerdotum Collegio separat; Episcopi nec potestatem habere potest, nec honorem, qui Episcopatus nec unitatem voluit tenere neque pacem. Unde cum praedicta verba dicta sint de Summo Pontificatu pote contra Novatianum, qui contra Cornelium contendebat de Papatu, faciliter & absque iurium magna allegatione, sed potius ex factorum consideratione declarari potest pro iustificatione Sacri Basileensis Concilii, olim

lim Eugenium Papatum tenere non posse, quia notorie a coëpiscoporum atque Ecclesiae unitate contumaciter recessit, & a Sacerdotum Collegio se separavit, horrendum schisma in Ecclesia perpetrando.

Certum est nec potest negari a quocumque fidelium quod Anno Domini 1431. Ecclesia Catholica fuit in Basilea Synodice unita & legitime congregata atque coadunata; sed heu! ab hac unitate Ecclesiae atque Sacerdotum Collegio sic coadunato, olim Eugenius bina vice se separavit: primo quidem per attemptatam ipsius Sacrae Synodi Basileensis dissolutionem, anno & Synodi & Pontificatus Eugenii primo, Ecclesiam universalem notorie scandalizando, lamentabiliter perturbando, atque scissuram in ea lamentabiliter faciendo. Ad quorum suppressionem divinae memoriae Sigismundus Imperator in propria Persona, ceteri vero Reges & Principes fere totius Christianismi per suos Ambassiatores Synodum ipsam Basileensem citissime visitarunt, & ei sua praesidia & auxilia devotissime impenderunt.

Et

Et quia praefati Sigismundus in propria persona, & ceteri reges & principes per suos ambassiatores ipsi Sacrae Synodo Basileensi adhaeserunt, & eidem se univerunt, inter quos erant dominorum Electorum Sacri Imperii ambassiatores, ipse tunc Eugenius hanc adhaesionem regum & principum ipsi Sacro Concilio sentiens, monitionibus dicti Sacri Concilii tandem acquievit, & suam praetensam dissolutionem cassam & irritam fuisse declaravit, & eidem pure & simpliciter adhaesit, ipsum quoque Concilium, non obstante sua praetensa dissolutione, legitime fuisse & esse continuatum, continuationemque & progressum debere habere ad ea propter quae erat congregatum etiam declaravit; & insuper quicquid contra dictum Concilium & eius auctoritatem per ipsum aut suo nomine dictum aut factum erat, revocavit, & generaliter omnia effectualiter adimplevit quae per eum facienda Sacrum Basileense Concilium saepe dictum decreverat, & eis modo & forma quibus ipsum Concilium eidem imposuerat, prout latius patet per suas

Bullas

Bullas patentes desuper confectas, & manibus propriis Cardinalium sibi assistentium subscriptas, necnon per decretum ipsius Concilii super illorum approbatione promulgatum, quo factum est ut Ecclesia ad suam unitatem reducta in pace tunc quieverit, & in hac unitate & pace perstitit quousque eam secundo turbare praesumpsit, ut statim dicetur. Videns autem Sacrum Basileense Concilium Ecclesiam universaliter sua unitate & pace gaudere, atque per praedicta submota esse illa impedimenta per quae fuerat hactenus multipliciter impeditum, coepit effectualiter laborare circa ea propter quae fuerat congregatum, scilicet circa generalem reformationem Ecclesiae in Capite & in membris, pacificationem principum & aliorum ab invicem diffidentium, atque extirpationem Haeresum; & Deo duce circa horum quaelibet magna & laudabilia facta fuerunt. Saluberrima namque decreta reformatoria edita sunt toti mundo nota, grata, & accepta. Hussitarum haeresis diuturnis disputationibus, crebris informationibus, salutarique

rique ipsius Concilii doctrina suppressa est, & pro graecorum erroribus extirpandis, eorumque reductione Sacrum ipsum Concilium magna posuit antidota. Sed heu & iterum heu! dum haec gloriose prosequerentur, & Ecclesia bona pace & quiete frueretur, subsecuta est secunda turbatio, atque nefandissimum illud schisma, quod, proh dolor! hodie cernitur in Ecclesia, cuius quidem auctor rursum fuit ipse olim Eugenius, prout ex factis eius luce clarius ostendetur. Et utinam Reges & principes ad pacem reformandam modum prius recitatum tenuissent, aut adhuc amplecti vellent, & statim esset finis.

Ipse namque tunc Eugenius cum pro debito suae professionis decreta illa saluberrima debuisset primus recepisse, executioni mandasse, ac ceteros per orbem catholicos ad illorum observantiam induxisse, contrarium notorie per regiones & regna praticavit. Ecclesias namque plurimas pluralitate pastorum, seu rectorum turbari fecit, & schismatibus particularibus rectores eis praeficiendo contra promotos ad easdem

in vim decretorum praedictorum damnabiliter ſuppoſuit; obſervantes & ſequentes ipſa decreta excommunicavit, interdixit, & privavit: attentantes vero contra illa & illorum impugnatores magnis dignitatibus, beneficiis, atque aliis donariis ditavit, & excommunicatos per Concilium propter non obſervantiam, aut repugnantiam abſolvit, tot ſcandala notoria perpetrando, quod abſque gravi offenſa divinae maieſtatis, interitu animarum, nec non Eccleſiae ruina irreparabili amplius diſſimulari non potuit.

Et huius rei gratia Sacrum Baſileenſe Concilium tam benigne tam caritative, & toties monuit ſeu exhortari fecit ipſum ut a talibus abſtineret, & attentata repararet, quae nullam apud Deum neque mundum praetendere poſſunt excuſationem rationabilem, in quo rurſum a coepiſcoporum corpore & Sacerdotum collegio ſe ſeparavit & alienum reddidit: monituſque caritative obedire contempſit, unde nullus cauſari debet ſi ipſum Concilium cui obedire tenebatur iuxta decretum magni Con-

Concilii Constantiensis, videns duritiam cordis eius, & mala profutura, rursum ipsum citari fecerit ad dicendum causas, si quas haberet, cur decreta reformationis generalis non reciperet, sed potius ea cum tot scandalis impugnaret, & iis obedientiam debitam non redderet.

Etsi praedicta sint adeo notoria, quod nulla possint tergiversatione celari, alia etiam facta non minus notoria subscribentur, per quae ostendetur evidentissime ipsum fecisse hoc damnatum schisma, quod hodie, heu! viget in Ecclesia. Ipse namque tunc Eugenius, qui prius fuerat per ipsum Basileense Concilium correptus de prima dissolutione per eum attentata, quin immo eam fecisse non posse declaraverat, secundam attentare dissolutionem, seu translationem non erubuit contra voluntatem Concilii, contra compactata cum Graecis in facie Ecclesiae utriusque solemniter firmata, in quo rursum inevitabiliter schisma perpetravit, ad quod ostendendum bene notentur quae sequuntur.

Et primo quod per compactata cum Graecis utrinque solemniter firmata, & consensu tunc Eugenii Papae roborata, Sacrum Basileense Concilium tenebatur firmiter stare in Basilea usque ad descensum Graecorum ad ultimum portum Latinum.

Secundo quod descensum huiusmodi Graeci non fecerunt ante diem octavam Februarii anni 1438., ex quibus apparet quod cum ipsum Basileense Concilium usque ad praedictam diem & ultra facto in Basilea perstitit, & iure suae obligationis stare debuit, quod in Basilea fuit verum & legitimum Concilium usque ad diem praedictam: & cum tunc Eugenius tempore medio, scilicet sex menses ante praedictum descensum ipsum dissolvere seu transferre tentaverit, inevitabiliter hoc attentando, schisma perpetravit. Quis enim huiusmodi divisionis aut scissurae auctor fuerit, vel Concilium quod stare debebat, & suae dissolutioni restitit, vel ille qui eam attentavit pro tempore, pro quo nec per ipsum, nec per alium fieri licuit, iudicet totus mundus.

For-

Fortaſſe dicet quis excuſando quod eam fecit gratia reductionis Graecorum, pro qua etiam ipſum Concilium tenebatur ſe transferre: ſed hoc non valet primo quia translatio ſeu diſſolutio Concilii Graecis advenientibus facienda, & diſpoſitio loci pro Concilio Oecumenico ex compactatis cum ipſis Graecis ad Concilium pertinebat, nec cauſam aliquam id faciendi praetendere poterat, cum tunc non poſſet objci mora nimia Concilio, cum hoc fuerit per ſex menſes ante eorum deſcenſum, quinimmo tunc non fieri poterat ſi veniſſent.

Rurſum dicet quis quod non fecit eam pro tunc, ſed pro tempore exequendam, cum Graeci advenirent: ſed iſtud non ſtat, quia tunc expectare debuiſſet adventum ipſorum pro executione huiuſmodi facienda, quod non fecit, ſed illi translationi innitendo aliud fecit ſchiſma inevitabile, de facto congregationem nomine Concilii in Ferraria inſtituendo per menſem ante deſcenſum Graecorum; ex quo apparet eam non fuiſſe factam gratia adventus Graecorum, ſed pro tunc.

Et aliter ostenditur ex textu ipsius attentatae dissolutionis, cum in ea expresse dicatur: quod si contra ipsum aut aliquem ex suis praesidentibus procederent Patres de Concilio, ex tunc dissolvebat, seu tranferebat, unde cum, ut praemittitur, citatus fuisset, & ad ulteriora processum extiterit, processum est etiam contra Tarantium unum ex suis praesidentibus, trigesima die Decembris ante adventum Graecorum declaravit illam conditionem: Si contra ipsum &c. iam dictam fuisse purificatam, & propterea Concilium fore in Ferraria inchoandum octava Ianuarii proxime sequentis. Non igitur gratia reductionis Graecorum, sed in contemptum processum praecedens.

Erectio congregationis in Ferraria non Concilii Generalis seu Oecumenici per tunc Eugenium Papam die octava Ianuarii anni 1438. attemptata notorie & inevitabiliter fuit schismatica, nec a quoquam excusari potest, quia pro illo die, iure & facto persistebat Concilium Generale in Basilea; & cum non possint simul esse duo Concilia Generalia

ralia (Can. *Sicut Unica* Octavae ſeſſionis) ſequitur evidenter quod erectio huius inevitabiliter fuit ſchiſmatica, & ideo, ſicut in dicto Canone dicitur, illa Congregatio dici non debet Concilium, ſed conventiculum ſchiſmaticorum.

Unde cum ipſe quondam Eugenius ab illo tempore & in antea in praedictis translatione ſeu diſſolutione, & conciliabuli erectione per ipſum ſchiſmatice factis perſeveraverit, prout hodie incorrigibiliter & contumaciter perſeverat, ſi ſchiſmaticus, ſi pertinax, & incorrigibilis debet reputari, iudicet totus mundus. Videant Reges & Principes quo pacto, cum quo honore, cum qua reverentia erga Deum & Eccleſiam poterunt amplius eum ſuſtinere, ſeu eidem adhaerere, ipſumque pro Papa reputare, qui ne dum a Collegio Sacerdotum, ſed etiam ab Unitate Eccleſiae ſe fecit alienum.

Olim Eugenius per Sacrum Baſileenſe Concilium monitus ut attemptatam per eum diſſolutionem, ſeu translationem revocaret infra quatuor menſium ſpatium, nec infra illud tempus

dictae monitioni paruit, quinimmo in eadem translatione, seu dissolutione contumaciter perstitit, prout adhuc de praesenti persistit, iuxta decretum undecimae sessionis ab omni administratione Papatus suspandi potuit, illo quatrimestri transacto, quod & de facto fecit Sacrum Basileense Concilium vigesima octava die mensis Ianuarii 1438. Unde cum pro illo die ipsum Concilium esset indubitatum, quia ante descensum Graecorum, nec postea fuerit ad administrationem restitutus, sed potius suis exigentibus demeritis a Papatu fuerit depositus, videant Reges, videant omnes Christiani ad ipsum tanquam administrum Ecclesiae recurrentes, quid faciunt, cum qua conscientia fieri potest, quid valeat quod facit, cum sub poenis & censuris dictum Concilium pro tempore, quo erat indubitatum, ad ipsum sic recurrere prohibuit. Dicit namque Concilium Constantinopolitanum octavum actione octava: *Si quis deprehensus fuerit synodalem sententiam definitivam spernens atque praevaricans, siquidem Clericus, gradu proprio*

prio decidat, laicus vero ſequeſtretur, utpote qui non credit Dominico Verbo perhibenti, quaecumque alligaveritis ſuper terram &c. Mira Res! alia decreta per dictum Concilium eodem die promulgata recepta ſunt, iſtud vero negligitur. Regula eſt Dominica ore Chriſti prolata: *Qui Eccleſiam non audierit, ſit ſicut ethnicus & publicanus.* Ad haec dicunt ſeu enuntiant aliqui, Ambaxiatores Regum & Principum proteſtationem feciſſe de non conſentiendo dictae ſuſpenſioni: & ſi fortaſſis talis proteſtatio nominibus duorum vel trium emanaverit, de aliis non oſtendetur eſſe factum: etſi, quod abſit, alioquin inveniretur, ſalubrius & honeſtius foret talem ſub modio ponere, quam in lucem adducere. Pollicitus erat namque Praeſidens Sacri Baſileenſis Concilii nomine totius Eccleſiae Occidentalis & in facie ſua ſolemniter, atque Ambaxiatoribus Graecorum praeſentibus promiſerat, Ambaxiatoribus Regum & Principum conſentientibus pro ſuis Regibus & Principibus, & nemine in adverſum reclamante hoc inter cetera quod u-

ſque

ſque ad deſcenſum Graecorum ad ultimum portum Latinum firmiter perſiſteret Concilium in Baſilea, nec diſſolveretur ceſſante legitimo impedimento. Hanc promiſſionem pro omnibus Chriſticolis praeſtitam violaverat ipſe tunc Eugenius per ſuam attentatam diſſolutionem ſeu translationem. Concilium volens perſiſtere, ſicut tenebatur, illi reſiſtebat & ut illam translationem auferret de eorum conſenſu primum de Concilio ipſum monuit ſub poena ſuſpenſionis ab adminiſtratione Papatus, ut praemiſſum eſt. Adveniente igitur termino monitionis in quo ad ulteriora ipſe proceſſerat, aliam Congregationem nomine Concilii erigendo, & ſchiſma, ut praemiſſum eſt, quod hodie cernitur faciendo, in quo notorie conſtabat de contumacia, pertinacia & ſcandalo quod toti Eccleſiae contra promiſſionem ſolemniter factam, & non ſine nota periurii, tandem ſuſpendit, & ſuſpenſum eſſe declaravit. Quaeritur ſi quod Concilium illi favere debuerunt, aut ipſi Concilio ſic fideliter decretanti aſſiſtere, unde quam honeſta eſſet huiuſmodi

di proteſtatio, iudicent Domini Reges ac Principes, ac etiam ſuo honori conſulant.

Cum Graeci non applicuerint ad ultimum portum Latinum ante octavam diem Februarii anni 1438., & per compactata ſicut promiſſum eſt firmata, ipſi Concilio conceſſum fuit unius menſis ſpatium ad ſe transferendum, in Baſilea Concilium fuit uſque ad octavam diem Martii ſequentis.

Tempore illo currente ipſe olim Eugenius civibus Baſileenſibus per ſuas literas mandavit ut Patres Concilii a ſua civitate expellerentur, principibus Germaniae ut ſuos ſalvos conductos revocarent, atque ut ipſos Patres Sacri Concilii tanquam Fidei hoſtes & ſuos tractarent, prout in promptu de hoc fides fieri poſſet; & inſuper ſi Baſileenſes non expellerent dictos Patres, inhibebat victualia illuc portari, portantes capturari & ſpoliari & generaliter omnes ad Baſileam euntes & redeuntes male haberi, quibus factum eſt ut plures a Concilio recedentes, & ad ipſum venientes capturati fuerint &c.

Ex praecedentibus declarari poteſt, abſque iurium allegatione, quod adhuc hodie debet ab omnibus reputari eſſe verum & legitimum Concilium in Baſilea, etiam dato, licet non conceſſo, quod illud praetenſum decretum de translatione ad Florentiam vel Ferrariam, quod ipſi Concilio, licet falſo, adſcribitur, alioquin viribus ſubſiſtat, quoniam illis bene penſatis, adveniente termino in quo Concilium ſe ipſum transferre iuxta illud debuiſſet, non patebat Patribus Concilii tutus de Baſilea exitus, nec ab ea progreſſus verſus Ferrariam, neque Ferraria erat eis locus tutus, quia ſub poteſtate ipſius olim Eugenii taliter in eos, ut praemiſſum eſt, ſaevientis, nec non Domini illius civitatis ſibi colligati, iurati, & confoederati conſtituta erat. Ipſe etiam locus propter ſchiſmaticae conventionis praeſentiam factus eſt inhabilis, omneſque ad illum accedentes gratia Concilii ſe ipſos ſchiſmaticos reddidiſſent. Ideo ad locum illum ire amplius non tenebantur nec fuiſſent obligati, nec ſubſequenter locus alius ad rem illam electus aut nomina-

minatus extitit iuxta compactata, quia etiam ipsi Graeci sua voluntate & absque primi Concilii consensu cum praedicto conventiculo se univerunt. Et ut amplius dicam, ipsi per litteras suas ipsi Basileensi Concilio intimaverunt se non teneri ulterius ad compactata, nomine cuius recusarunt venire cum indubitatis & veris Concilii Ambaxiatoribus ab omnibus concorditer electis pro eorum adductu ad eos transmissis. Sed causante ipso olim Eugenio, alio pacto venerunt, & cum eo se sociarunt. Quas ob res non obligatur amplius Concilium ad se transferendum propter eorum adventum: unde cum usque ad illud tempus fuerit indubitatum, ut deductum est, & ab illo tempore nec Concilium ipsum se transtulerit, aut quicquam aliud unde censeatur translatum fecerit, nec ab illo tunc ipse olim Eugenius translationem in ipsum praetendere potuit: sequitur irrefragabiliter adhuc hodie in Basilea esse verum illud Concilium, quod pro legitimo per ipsum tunc Eugenium pro tali fuit declaratum.

Cum

Cum ſtatutum ſit in Eccleſia perpetuo duraturum quod ſi Romanus Pontifex pro diſſolutione aut translatione Concilii ſuſpenſus, per duos menſes animo indurato ſuſpenſionem ſuſtinuerit, uſque ad privationem talis per Concilium generale procedatur: unde cum praedictus olim Eugenius ne dum per duos ſed per decem & ſeptem menſes ſuſpenſionem ſuſtinuerit, & per illos indefeſſe mala malis addiderit, rationabiliter ab ipſo Concilio ex hoc capite deponi potuit.

Rurſum cum per prius propter rebellionem contra reformationem Eccleſiae in magna parte factam, alia quoque gravia crimina notoria citatus extitiſſet, propter quae & quilibet Romanus Pontifex talia perpetrans & incorrigibiliter perſiſtens privari poſſet, contumacemque ſe reddiderit, & Concilium ipſum talem declaraverit, & deinde ſpatio viginti trium menſium ad ulteriora procedendo expectaverit ſubſtantiales terminos obſervando, iterumque contra eum obiecta crimina probata exſtiterint, atteſtationeſque publicatae,

catae, fueritque ad dicendum contra testes eidem assignatus terminus, tandem post tam longam expectationem visum est patribus Sacri Concilii quod absque gravi offensa Dei non erat amplius tolerandus, & audita de criminibus suis publica relatione, tandem per deputationes, in quibus fuerunt fere trecentae personae deliberantes, nullo ex deliberantibus reclamante, unanimi consensu, primo in deputationibus, & deinde in Congregationi generali conclusa fuit eius depositio, & demum in sessione solemni cum omni pace & quiete celebrata, nullo ibidem tunc reclamante, privatus a Papatu extitit & pro tali publicatus & denuntiatus cum inhibitionibus sub poenis & censuris, ne de cetero sibi tamquam Papae obediretur.

Res miranda atque tremenda! de trecentis eo circa non fuit unicus qui diceret quod non esset deponendus, aut quod in processu contigisset aliquis defectus.

Res iterum miranda! de Ambaxiatoribus Principum ante deliberationes pro-

protestantium quod nominibus Principum suorum in depositionem vel privationem non consentiebant, similiter non fuit unus auditus qui diceret eum non esse deponendum, & si etiam eis videbatur quod non esset deponendus, cur in tanta re non acquietabant se, & veniebant ad declarandum cur non deberet deponi. Sed bene auditum est sub silentio ab eorum aliquibus istud verbum: quis vos impedit, cur non facitis facta vestra? notate bene verba nostra, negative dicimus, non consentimus, voluntates nostrorum Principum non scimus, mandatum ab eis in hac re non habemus, immo eorum aliquis concurrit in summa dictanda: nec unquam sessio cum tanta quiete inibi fuit celebrata, quod Spiritus Sancti assistentiam indubie attestatur. Unde per hoc clausa est ianua pascendi gregem Dominicum. Scriptum est autem in actis Synodi octavae Constantinopolitanae quod: *Siquis ianuam quam Sancta Synodus clausit aperire tentaverit, Dei hostis invenietur, & ostendetur super terram & in Coelis.*

Iusti-

Iustificationes depositionis olim Eugenii a Papatu factae per Sacrum Basileense Concilium.

QUia nunquam acquievit, immo restitit ut fieret reformatio Ecclesiae in Capite & in membris, & hoc notorie constat, quia per quinque annos continue admonitus & requisitus nunquam voluit acceptare decreta facta pro reformatione in Conciliis Constantiensi ac Basileensi; quin immo observantes ea excommunicavit, non observantibus autem favores & beneficia praestitit, & quod gravius est ab Episcopis & aliis per eum provisis exegit publica iuramenta ut nunquam observarent praedicta decreta; clamat autem Doctrina Sanctorum, quod violatores Canonum blasphemant Spiritum Sanctum, & quod ab ipsorum obedientia est recedendum per subditos.

Item quia erat notorie simoniacus, etenim beneficia vendebantur in sua o-

lim Curia Romana ſicut carnes in macello, nec tamen de illis ſicut de carnibus erat conſtitutum pretium, ut cuilibet volenti darentur, ſed dabantur etiam indignis plus offerentibus, dignis repulſis; & ſi aliquando beneficia non vendebantur, cauſa erat quia deficiebant emptores; Chriſtus autem eiecit de templo vendentes oves & boves, etiamſi venderentur pro ſacrificio; unde etiam non potuit tolerari Vicarius ſuus qui contra eius mandatum vendebat beneficia & Epiſcopatus.

Item quia erat periurius; iuravit namque & vovit pro Deo & Sanctis eius, ac promiſit Eccleſiae ſuae Sanctae ſolemniter per tres vices, ſcilicet antequam eſſet in Papam electus, ac deinde poſtquam fuit electus, & demum poſtquam fuit coronatus iterum confirmavit, decernens de huiuſmodi iuramento ex certa ſcientia Literas Apoſtolicas habentes vim perpetuae legis, atque inviolabilis Decretalis, aſſerendo in eis praeteritis temporibus fuiſſe erratum quia non fuerunt ſervata quatuordecim capitula quae dicebat eſſe neceſſaria

ceſſaria ad conſervandum ſtatum Romanae Eccleſiae, & Monarchiam Eccleſiaſticam, quae omnia inviolabiliter in omnibus & per omnia ſimpliciter & bona fide ſervare, & effectualiter adimplere iuravit & vovit Deo & Sanctis eius, & Eccleſiae ſuae Sanctae promiſit. Iſtorum autem Capitulorum inter alia illud fuit, quod Romanam Curiam in Capite & in membris reformaret; & tamen nec ipſe reformavit, immo ut praedictum eſt, reformationi reſtitit.

Item quod aſſignari faceret iuxta antiquam conſuetudinem medietatem omnium proventuum Romanae Eccleſiae Cardinalibus pro eorum ſubſtentatione.

Item quod ſine eorum conſenſu non daret aliquam ex terris Eccleſiae Romanae in Feudum.

Item quod non moveret bellum, neque confoederationes faceret.

Item quod non imponeret gabellas novas.

Item quod nihil alienaret de iuribus Romanae Eccleſiae, nec alienata de iuribus aliarum Eccleſiarum confir-

maret. Qualiter autem huiusmodi iuramenta servaverit atteſtari etiam hodie poteſt, qui in ſua olim Curia per aliquod tempus fuerit. Sed illud eſt notum de iure divino & humano, periurios eſſe infames, & quod infamibus portae dignitatum patere non debent, quia periurium in Principe eſt tam graviſſimae culpae, quod quia Rex Ezechias non ſervavit iuramentum Nabucdonoſor Regi quamvis infideli, Civitas Ieruſalem & Templum deſtructa fuere, & populus Iudaeorum ductus in captivitatem.

Item fuit condemnatus propter crimen dilapidationis: de hoc autem teſtimonium perhibent deſtructiones terrarum Eccleſiae factae tempore ſuo. Chriſtus autem in Evangelio docet de villico quod iam non poſſet amplius villicare, quia diffamatus erat apud Dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona illius: quanto magis cum eſſet notorius diſſipator? in iure autem Canonico praecipue cauſa depoſitionis Epiſcoporum eſt dilapidatio bonorum ſuarum Eccleſiarum.

Item quia ſcandalizabat Eccleſiam univerſalem: hoc autem crimen notorie conſtat ex praedictis; ſcandalum namque eſt dictum vel factum minus recte praebens aliis occaſionem ruinae, & facta praelatorum facile trahuntur a ſubditis in exemplum: quapropter omne notorium crimen in Summo Pontifice non unum, ſed quaſi omnes ſcandalizat fideles. Et tamen iuxta Doctrinam Evangelicam expedit ſcandalizanti unum ex puſillis ſuſpenſa mola aſinaria in collo eius demergi in profundum maris.

Item quia fuit contumax tam deteſtabili contumacia, ut ſimilis vix aut nunquam fuerit audita: Vocatus namque ad iudicium tamquam reus, non ſolum venire contempſit, ſed uſurpans ſibi iudiciariam poteſtatem, quantum in ſe fuit iudicem ſuum interemit. Sacra autem ſcriptura docet eum qui protervus & contumax eſt, & ſalubria monita audire contemnit etiam dignum eſſe morte.

Item fuit condemnatus propter ſuam rebellionem; citatus namque ut

ſe excuſaret de praedictis & aliis criminibus de quibus erat notorie diffamatus, ſurrexit in Sacrum Concilium iudicem ſuum criminando, & illud imponendo, quod non eſſet in eo libertas, quod falſum erat notorie; itemque negando iurisdictionem eius, & quod gravius eſt, quantum in ſe fuit, diſſolvendo ipſum ſub conditione turpiſſima, videlicet ſi contra eum procederetur, aut contra aliquem ſuorum.

Item quod omnino importabile, excomunicando, privando, inhabilitan do omnes illud celebrantes ultra terminum aſſignatum per eum ſi exercerent actus conciliares etiam in cauſa fidei: & tamen tunc erant in Concilio ſolemnes oratores Regni Bohemiae cum quibus acerrime diſputabatur ſuper cauſa fidei, & in termino per eum aſſignato invaleſcebat gravior diſputatio.

Item fuit condemnatus quia notorie introduxit ſchiſma graviſſimum in Eccleſia Dei, erigendo in Italia in loco ſibi placito conventiculum ſchiſmaticorum, quorum ipſe erat caput. Nec habet excuſationem propter reductionem

Grae-

Graecorum, quia expresse dicit se fecisse dissolutionem, ne contra eum procederetur; etiam quia hoc fecit ante adventum eorum. Unde quia etiam secundum eum Concilium Basileense duraturum erat usque ad adventum Graecorum, & tunc etiam succedebat unus mensis in quo se habebat transferre; Ipse tamen, durante Sacro Basileensi Concilio, erexit praedictam Congregationem Ferrariensem sub nomine generalis Concilii, & ideo erat notorie schismaticus in adventu Graecorum, & erat etiam tunc legitime suspensus ab administratione Papatus. Unde quia erexit altare sacrilegum contra altare legitimum, & nunquam voluit desistere a praedicto schismate, merito per Sanctam Synodum fuit condemnatus tamquam schismaticus. Sacra autem Scriptura docet contra huiusmodi erigentes altare sacrilegum etiam bello publico esse insurgendum.

Item dictus olim Eugenius fuit olim condemnatus tamquam notorius haereticus, prout evidentissime patet in alia cedula informationis.

Illud autem ſciant omnes fideles quod tenentur de neceſſitate ſalutis magis impendere auxilium ad expellendum de Sede Apoſtolica eum qui eſt notorie haereticus, quam Regem infidelium expugnare volentem terras Chriſtianorum: hic enim eſt periculum temporalis ſubſtantiae aut corporum, ſed illic evidens interitus animarum, qui tanto maiores vires aſſumit, quanto ille diutius in Papatu ſtare permittitur: habet enim multos miniſtros per Eccleſiam ubique diſperſos, qui ſub eius nomine & auctoritate non ſolum decipiunt & inducunt, ſed etiam per cenſuras nituntur compellere ad ſequendam eius haereſim & errorem: Ipſoſque de beneficiis & officiis illis ſolum providet qui ſuo adhaerent errori, & praeter hoc cum Principibus nititur praticare, ut etiam per violentiam ad ſuum dogma tenendum compellantur.

Quod autem dictus Eugenius fuerit ac permaneat continue notorius haereticus, licet conſtaret hoc evidenter Sacro Baſileenſi Concilio ante eius depoſitionem, ipſe tamen poſtmodum fecit

cit notiſſimum eſſe toti mundo, quoniam per ſuam praetenſam definitivam ſententiam latam in conventiculo Florentino, dicit ſe condemnare, ac reprobare veritates fidei declaratas per Sanctum & magnum Conſtantienſe Concilium, in quo manifeſte & notorie demoſtrat ſe pertinacem eſſe in haereſibus & erroribus ſuis. Adhuc etiam hoc idem in dies expreſſe notificat per ſuas publicas literas miſſas ad multos Principes & Univerſitates generalium ſtudiorum, in quibus ultra alias haereſes & errores expreſſos in illis, intolerabilis ille error exprimitur, quia negat Sanctum & magnum Conſtantienſe Concilium.

Unde quemadmodum fideles Chriſtiani inſurrexerunt contra Arium & ſequaces ſuos, qui negabant Chriſtum eſſe verum Deum, poſtquam talem infiniti Martyres coram Tyrannis Principibus confitendo fidem Chriſti, tamquum verus Deus eſſet, mortui fuerant in fide illa, ita nunc merito contra praedictum olim Eugenium inſurgere debent omnes Chriſtiani, quia negat

gat Sacrum Conſtantienſe Concilium, pro cuius fide ſuſtinenda quantum ad Communionem Euchariſtiae ſub altera tantum ſpecie in Regno Bohemiae & partibus circumvicinis mortui ſunt quaſi centum millia perſonarum; qui enim hanc rem tam apertiſſimam, viventibus adhuc illis qui interfuerunt, non veretur negare, quid faciet de veritatibus aliis Catholicae Fidei?

Nec dubium alicui eſſe debet quoniam omnis haereticus ſuperbus & animoſus eſt, quod ſemper conabitur ad imitationem rerum in alio & alio ſtatu, graviora ſemper in dies ſcandala ſuſcitabit: etenim quemadmodum omnis haereticus ſubverſus eſt in ſemetipſo, ita & omnes alios ſubvertere nititur: ut namque docet Philoſophus: *qualis unuſquiſque eſt, talia dicit & operatur.*

Eſt igitur circa dictum olim Eugenium obſervanda Apoſtolica doctrina, ſcilicet poſt primam & ſecundam correptionem devitandum eſſe, quia ſubverſus qui eiuſmodi eſt, & delinquit proprio iudicio condemnatus.

Ex

Ex Consilio Universitatis Viennensis dato Domino Archiepiscopo Salzeburgensi Anno 1440.

NEmini nisi hosti Fidei Orthodoxae dubium esse potest quin Sacrum Concilium Basileense legitimum habuerit initium & processum, nec super his quae facta forent, ut de compactatis non servatis, quaeque allegant in dissolutionem Concilii standum aut credendum esset cuicumque, cuiuscumque dignitatis existeret, Sacro Concilio contradicente.

Sacrum Concilium Basileense habuit potestatem plenariam ad instituendum & prosequendum processum contra olim Eugenium quod ad eius suspensionem & depositionem, & alterius Summi Pontificis institutionem: nec potest Sacro Concilio obici rationabiliter indiscretio minimae praecipitationis in tanto negotio.

Quando

Quando eſt diſſenſio inter Papam & Sacrum Concilium non eſt licitum neque iuſtum utrique obedientiam ſubtrahere, ut in caſu praeſentis neutralitatis, ſed in his quae fidei ſunt aut ad ſchiſmatum extirpationem, aut morum reformationem in Capite & in membris Eccleſiae reſpiciunt, numquam licet Chriſtiano homini a Sacro Concilio legitime congregato appellare, neque debet Chriſtianos principes movere umquam metus litium aut bellorum, neque allicere pax terreſtris, ſeu quies politiarum, ſecundum temporum quietem, ut pro ea relinquatur pax Dei quae exſuperat omnem ſenſum, quae non habetur niſi in cuſtodia & obſervantia legis divinae.

Stantibus rebus ut nunc ſtant, ſcilicet poſt electionem factam per Concilium Baſileenſe nihil aliud cuicumque ſuadendum eſt niſi ut obediat & gratum habeat proceſſum Sacri Concilii, laudet & approbet iuxta decreta Conciliorum perapprobata.

Ex Consilio Universitatis Erfordiensis dato Domino Archiepiscopo Moguntino Anno 1440.

NUllo modo conveniens erit in ista neutralitate vel unione quomodocumque nominetur diutius residere, sed alteri partium necesse est obedire.

Quod Generali Concilio & Papa, etiam existente Papa, discordantibus, seu contraria praecipientibus, illustrissimi Principes, Electores, & cuncti Christiani relicto Papa, Concilio tenentur & debent obedire.

Quod Sacro Basileensi Concilio & olim Eugenio contra praecipientibus, iterum ipsi Sacro Concilio, & non ipsi olim Eugenio tenentur Christiani obedire, quinimmo ipsum Papatu privatum sentire.

Quod etiam Sanctissimo Domino Felici in Papam auctoritate Concilii electo saepefati illustrissimi Principes & ceteri tenentur & debent obedire.

Ex

Ex conſilio Univerſitatis Colonienſis dato Domino Archiepiſcopo Colonienſi Anno 1440.

Eccleſia Synodaliter congregata habet ſummam Iurisdictionem in terris, cui omne membrum Eccleſiae, cuiuſcumque dignitatis fuerit, etiam Papalis, obedire tenetur.

Nemo Eccleſiam Synodaliter congregatam ſine ipſius Eccleſiae Synodali conſenſu diſſolvere vel transferre poteſt.

Animorum ſuſpenſio principum non recipientium mandata vel proceſſus Iuſtitiae generalis Synodi aut Sedis Apoſtolicae eſt, quantum fieri poterit, de medio tollenda.

Dicta animorum ſuſpenſio non eſt conformis juri divino, naturali & humano quia inducit ſcandala in Eccleſiam Dei, propter quae ſi diu duraverit enervabitur contemptibiliter poteſtas

ſtas

ſtas Eccleſiae in grave praejudicium Eccleſiae Catholicae.

Quod niſi dicta animorum ſuſpenſio cito tollatur ſic deſcendendo per vacillationem periculoſiſſimi dubii, parabitur via tyrannidi Antichriſti.

Super dubio, ut intelleximus, principalius orto quia famatur Synodus Baſileenſis tranſtuliſſe ſe ipſam, quia de facto non ſumus plene informati, conſulendum eſt Regi Romanorum ut cum Principibus in Dieta congregandis deſuper quaerat informationem.

Conciſtorium ſummum & irrefragabile tribunal eſt Eccleſia Synodaliter congregata, in quo mala in his diebus orta in Eccleſia tolli debent.

Eccleſia Synodaliter congregata fuit indubie in Baſilea, & adhuc eſt, ſi non eſt legitime translata. Ergo ante omnia procuretur informatio certa.

Ex tractatu Universitatis Cracoviensis misso Domino Archiepiscopo Cracoviensi eiusdem Universitatis Cancellario.

UNam Sanctam Ecclesiam Catholicam, quae in his quae fidei sunt & salutis errare non potest, confiteri cuilibet homini viatori est de necessitate salutis.

Sicut unum caput principale verum & immediatum est totius Ecclesiae Christus Iesus, sic unum caput ministeriale & vicarium est eiusdem Ecclesiae, & singulorum eius membrorum, quod est Pontifex Romanus.

Quodlibet Concilium generale in Spiritu Sancto legitime congregatum repraesentat Universalem Ecclesiam, & habet potestatem immediate a Christo.

Potestas Ecclesiae Universalis, ac etiam cuiuslibet Concilii generalis legitime congregati ipsam repraesentantis superior est potestate Papae, atque alia qualibet potestate in terris, cui quili-

quilibet cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, aut conditionis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire & ſubeſſe tenetur, & ſi non obedierit poterit condigna animadverſione puniri.

Decreta Univerſalis Eccleſiae ſeu generalium Conciliorum ipſam repraeſentantium ab omnibus Eccleſiae membris, quacumque etiamſi Papali praefulgeant dignitate, ſunt inviolabiliter obſervanda.

Sacra Synodus Baſileenſis in & a ſui exordio uſque in praeſens fuit & eſt in Spiritu Sancto legitime congregata & inſtituta, quam nullus, quacumque etiamſi dignitate Papali praefulgeat, potuit ſine eius conſenſu expreſſe diſſolvere, nec poteſt.

Suſpenſio & depoſitio de ipſo Eugenio olim Papa IV. factae per Concilium Baſileenſe, cenſendae ſunt validae atque juſtae. Electio quoque expoſt facta de Domino Felice Papa V. ad Romanum Pontificatum per ipſum Concilium, cenſenda eſt Canonica: qui ſolus pro Romano Pontifice vero & indubitato ab omnibus viatoribus neceſ-

ſario habendus eſt, eique obedientia praeſtanda eſt a cunctis Chriſtifidelibus ſub periculo ſalutis eternae.

Ex ſecundo & breviori Tractatu eiusdem Univerſitatis Cracovienſis.

QUilibet homo viator Sacroſanctae Baſileenſi Synodo de neceſſitate ſalutis tenetur obedire.

Papa tenetur generalium Conciliorum ſtatuta & decreta recipere, approbare, ſervare, & defendere.

Papa non poteſt immutare Conciliorum decreta.

Papa propria auctoritate ſine conſenſu Concilii non poteſt diſſolvere Sacrum Concilium.

Quilibet homo viator de neceſſitate ſalutis debet obedire Sanctiſſimo Domino Noſtro Felici V.

Quilibet homo de neceſſitate ſalutis ſubeſſe Papae tenetur.

Non tenentes Felicem V. poſt depoſi-

positionem Eugenii esse Papam verum peccant mortaliter.

Catholice credendum est quod sine auctoritate Felicis Papae V. in actu vel voto nullus potest salvari.

Summo Pontifici malo, saltem malitia morum, de necessitate salutis est obediendum, tamen magis necessario ad salutem Sacro Concilio Basileensi, quam Papae est obediendum, saltem si mandent contraria.

Licet Papa convocet Concilia, non tamen potestas eius est major quam Conciliorum.

Potestas Sacri Concilii est maior quam Papae in auctoritate, iurisdictione & executione.

Declaratio Articulorum Fidei non pertinet ad solam personam Papae, sicut ad solum Sacrum Concilium.

Sacrosanctae Basileensi Synodo, & Sanctissimo Domino Nostro Felici Papae V. sub eadem rite electo & instituto a quolibet se salvare volenti, obediendum est necessario.

Ex Tractatu Universitatis Lipsiensis.

TAM potestas Ecclesiae est a Deo immediate, quam Synodi Generalis in Spiritu Sancto legitime congregatae.

Potestas Ecclesiae vel Concilii universalis est superior seu maior in potestatibus humanis.

Omnis in hoc mundo viator universalis Concilii legitime congregati iudicio stare, & eidem obedire obligatur.

Concilium universale congregatum legitime nullus homo mundi, vel purus viator potest sine eius consensu dissolvere.

Ex Concilio Universitatis Viennensis dato Domino Archiepsocopo Salzeburgensi Anno praesenti videliçet 1442.

DIcimus, quantum de jure & de facto hucusque noscere potuimus, non est nobis aliud visum quam quod Sacrum Basileense Concilium sit legitime incoatum & continuatum, unde pro constanti tenemus ipsum adhuc viribus & auctoritatibus subsistere, & suam semper habuisse prosecutionem.

Videtur nobis quod in Dieta futura Francofordiensi, rationabiliter non debeat aut possit esse difficultas de declaratione de altero contendentium de Papatu.

Videtur nobis quod in dicta Dieta pro quondam dicto Eugenio non liceat fieri declarationem, immo nec esset alicuius roboris si in tali Dieta fieret vel attentaretur, praesertim cum pro damnato haeretico sumatur, qui & per orbem diffamatus existit.

Videtur nobis quod olim Eugenio a nullo foret obediendum, etiamsi Concilium hodie desineret praesidere, si etiam nullus alius pro Summo Pontifice in Ecclesia Dei actu se gereret, aut praetenderet sibi de Summo Pontificatu jus quaesitum.

Videtur nobis omnino quod difficultates Ecclesiae tolli non possunt ad praesens, nisi in Sacro Basileensi Concilio, cum nec ipsum transferri possit ipso nolente, nec aliud institui queat eo existente.

Videtur nobis quod pax Ecclesiae, ac reductio totius gregis Dominici ad unum pastorem, & etiam in materia Fidei, procurari non possit nisi in Concilio generali ab omnibus, aut maiori parte Christianitatis laudato, quia ea quae in Dietis fiunt, aut facta sunt, auctoritate carent, nec aliquem Christianum jure ligare possunt.

TRA-

TRACTATUS

Quod Sacrum generale Concilium Basileense non sit translatum vel dissolutum.

AD ostendendum evidenter quod Sacrum generale Concilium Basileense non sit translatum vel dissolutum, ponitur primo talis distinctio: quia aut esset dissolutum per Dominum olim Eugenium de plenitudine potestatis sine consensu ipsius Concilii, vel esset dissolutum de consensu eius: & primo ponuntur rationes probantes quod nullo modo est dissolutum vel translatum iuxta primum modum, deinde quod nec iuxta secundum modum.

Quantum ad primum supponitur declaratio facta per Ecclesiam in Sacro Concilio Constantiensi de auctoritate Conciliorum generalium, qua dicitur, quod Concilium generale universalem Ecclesiam repraesentans potestatem a Christo

ſto immediate habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus & dignitatis, etiamſi Papalis obedire tenetur in iis quae pertinent ad Fidem, extirpationem ſchiſmatis & generalem reformationem Eccleſiae in capite & in membris; & inſuper quod ſi quis cuiuſcumque dignitatis, etiamſi Papalis, mandatis, ſtatutis, ſive ordinationibus & praeceptis cuiuſcumque Concilii legitime congregati in praedictis, & pertinentibus ad ea contumaciter obedire contempſerit, condignae poenitentiae ſubiciatur & debite puniatur, ad alia iuris remedia, ſi opus fuerit, recurrendo.

Ex praemiſſa autem declaratione manifeſtum eſt quod Concilium generale univerſalem Eccleſiam repraeſentans non ſolum Conſtantienſe, ſed etiam quodlibet aliud legitime congregatum habet jurisdictionem in praedictis & pertinentibus ad ea, etiam reſpectu Summi Pontificis, ſibi immediate a Chriſto datam, & quod ipſe Summus Pontifex tenetur Concilio obedire. Itaque ſi contumaciter obedire contempſerit poteſt condignae poenitentiae ſubici, ad alia

etiam

etiam remedia iuris procedendo. Ut supra igitur Summus Pontifex non habet poteſtatem praecipiendi auctoritative Concilio ut ab extirpatione haereſum, & reformatione Eccleſiae in capite & in membris deſiſtat, nec ipſum ad hoc compellendi; tum in illis Concilio obedire tenetur; nam ſi poſſet compellere auctoritative Concilium ad deſiſtendum ab illis, & quod Concilium in illis haberet obedire praecepto ſuo, clarum eſt quod ipſe Summus Pontifex non teneretur in illis Concilio obedire, nec poſſunt ſtare iſta contraria ſimul, quod uni & eidem teneatur obedire & non teneatur, ac poſſit in contrarium praecipere reſpectu eorumdem.

Ex quo clariſſime ſequitur quod ipſe Summus Pontifex Concilium congregatum pro extirpatione haereſum vel pro reformatione Eccleſiae in Capite & in membris, vel extirpatione ſchiſmatis non poteſt auctoritative diſſolvere ſine conſenſu ipſius; quia cum Concilium per talem diſſolutionem prohibeatur a procedendo ulterius in praedictis & quibuſcumque aliis, ſi teneretur obedire Papae

pae in tali diſſolutione, tunc deberet ceſſare ab illis quotieſcumque Papae placeret, nec haberet iurisdictionem in Papam reſpectu praedictorum, ſed magis e contra Papa haberet iurisdictionem in Concilium.

Item nullum ius, nulla ratio capit quod quis ſit iudex alicuius, & tamen ille cuius eſt judex poſſit ei praecipere auctoritative ut a iudicio deſiſtat, & ulterius non procedat, vel etiam quod ad aliud tempus iudicium differat vel in alium locum tranſmutet. Cum ergo Concilium ſit iudex cui Papa in praedictis obedire tenetur, clarum eſt quod Papa non poteſt auctoritative ordinare quod Concilium in praedictis ab judicando, ordinando, ſtatuendo, praecipiendo, vel procedendo deſiſtat, & per conſequens non poteſt ipſum auctoritative diſſolvere ſine eius conſenſu, quia per talem diſſolutionem, Concilium, ut dictum eſt, compelleretur ceſſare ab omnibus illis.

Item ſi Papa contumaciter obedire contempſerit ſtatutis, praeceptis, & Ordinationibus Concilii in praedictis, &

& pertinentibus ad ea poteſt condignae poenitentiae ſubici, & debite puniri. Igitur Concilium poteſt procedere ad coercendum & puniendum Papam contumaciter obedire contemnentem. Si autem Papa poſſet mandare auctoritative quod Concilium diſſolveretur ſine conſenſu eius, tum quoties Concilium vellet procedere ad ſubiciendum Papam condignae poenitentiae, poſſet Papa ipſum Concilium diſſolvere, & haec manifeſte repugnant.

Item poſtquam Concilium ſubiecit Papam condignae poenitentiae, poteſt ad alia iuris remedia procedere, ut dicit praefata declaratio: igitur Papa non poteſt ipſum impedire quominus ad illa procedat; unde clariſſimum eſt quod non poteſt ipſum invitum diſſolvere.

Sic etiam dudum ante octo annos fuit demonſtratum in reſponſione data per Concilium oratoribus Domini olim Eugenii, quae quidem reſponſio incipit *Cogitanti*, ubi ſic dicitur: *Cum Papa teneatur obedire ſtatutis, Ordinationibus & praeceptis uniuſcuiuſque Concilii,* *in*

in iis quae pertinent ad fidem, schisma, & reformationem Ecclesiae in capite & in membris, & si non obediret puniri potest, constat in iis casibus ipsum inferiorem fore Concilio, & Concilium maius eo, cum possit reformare, mandare, statuere, & punire. Inferior autem legem superioribus tollere non potest, nec ipsum suum superiorem extinguere vel annihilare, alioquin implicaret evidentem contradictionem, tenetur obedire, & non tenetur, quia potest dissolvere. Haec habentur in praefata responsione.

Ex quibus apparet quod determinationi factae per Ecclesiam in Concilio Constantiensi supradicto evidenter repugnat quod Papa Concilium generale Universalem Ecclesiam repraesentans possit dissolvere vel differre auctoritative sine consensu ipsius, & quod Concilium Constantiense determinando unam veritatem determinavit & aliam quae ex ea manifeste & evidenter sequitur. Sicut si scriptura determinat quod Abraham sit pater Isaac, sequitur quod etiam illud habetur determinatum per eam quod Isaac est filius Abrahae,

brahae, licet non expresse diceret. Dum ergo determinat Concilium Constantiense quod Papa in praedictis tenetur obedire Concilio habenti immediate potestatem a Christo, manifeste determinat quod respectu eorumdem, ipse Papa non habet potestatem auctoritative praecipiendi Concilio, & ipsum compellendi ut a talibus desistat eum dissolvendo vel differendo.

Si autem haec intellexit & decrevit Ecclesia etiam ante dictam declarationem de auctoritate generalium Conciliorum factam per Concilium Constantiense, patet manifeste ex alio decreto eiusdem Concilii publicato in sessione secunda quae immediate praecessit illam in qua primo facta est dicta declaratio. Cum enim Papa Ioannes XXIII. recessisset de loco dicti Concilii, & scripsisset mandatum, iubens ipsum poni Constantiae in valvis Ecclesiae, per quod omnes officiarii Romanae Curiae familiares sui, & Sedis Apostolicae cuiuscumque dignitatis exinde recederent, & irent ad ipsum in Scafusiam, Concilium decretavit in prae-

dicta

dicta sessione declarando quod per recessum dicti Papae Ioannis de loco Constantiae, vel etiam per recessum aliorum quoruincumque, non esset dissolutum ipsum Concilium, immo quod remanebat sua integritate, & auctoritate etiam si quae ordinationes in contrarium factae essent, vel fierent in futurum.

Ecce manifestum testimonium quo etiam ante dictam declarationem Ecclesia intellexit quod Papa non posset dissolvere generale Concilium absque eius consensu. Item quod celebratio Concilii etiam actu congregati non dependet ex auctoritate Papae, sed quod auctoritas haec permanet in remanentibus, etiamsi Papa cum multitudine Praelatorum inde recesserit: ita enim dimiserat praesidentes loco sui Ioannes Papa qui inde recessit, immo recesserant cum eo novem Cardinales & multi Praelati.

Item ex dicto decreto patet quod quaecumque Ordinatio facta per Papam super dissolutione Concilii sine eius consensu illa est inanis, nec umquam legitur

gitur aliquod Concilium diſſolutum per Papam contra eius conſenſum, unde patet quod iſta eſt veritas, cuius notitia etiam ab antiquo fuit in Eccleſia, tertiae Seſſionis Concilii Conſtantinenſis in quo fuit definitum etiam ante proceſſum incoatum contra Ioannem quod Dominus Ioannes XXIII. Romanam Curiam & officia publica, ſeu illorum officiarios de Civitate Conſtantienſi ad alium locum non mutaret aut transferret, ſeu perſonas dictorum officiarorum ad ſequendum eum directe vel indirecte cogeret ſine licentia & auctoritate ipſius Concilii, & hoc quod ad illos officiarios & illa officia per quorum abſentiam Concilium veriſimiliter diſſolveretur vel laederetur, & ſi quod feciſſet in futurum aut aliquos proceſſus ſeu mandata contra dictos vel alios quoſcumque illi Concilio adhaerentes, & cenſuras etiam in eos aut alias poenas ut ipſum ſequerentur fulminaſſet aut fulminaret, ſeu fulminarentur, eſſet irritum & inane, nec iiſdem proceſſibus cenſuris & poena tamquam irritis & inanibus cuicumque obediendum fore:

ecce

ecce quod ipſum Concilium Conſtantienſe ſentiebat quod ipſo ita ordinante, non poſſet privare Concilium aliquibus ſuis perſonis per quarum abſentiam Concilium veriſimiliter diſſolveretur; ergo multo minus Papa poteſt ipſum Concilium renitens & diſſentiens diſſolvere & ipſum annullare, atque compellere Concilium ut in tali diſſolutione ſibi obediat.

Item conformiter ad hanc doctrinam dudum facta eſt declaratio in ſecunda ſeſſione Concilii Baſileenſis in qua dicitur: quod ipſa Synodus Baſileenſis decernit & declarat quod ipſa pro haereſum extirpatione & morum generali reformatione Eccleſiae in Capite & in membris ac pace inter Chriſtianos procuranda in Spiritu Sancto legitime congregata per nullum quavis auctoritate, etiamſi Papali praefulgeat diſſolvi, aut ad alium locum transferri, ſeu ad aliud tempus prorogari debuit aut potuit, debet aut poteſt, debebit aut poterit in futurum abſque eiusdem Synodi Baſileenſis declaratione aut conſenſu.

Item definit, ordinat & decernit ibi-

ibidem Sancta Synodus quod nulla persona cuiuscumque status, dignitatis, seu conditionis fuerit in eadem Synodo actu existens, aut in futurum eidem incorporata, seu incorporanda a tempore arrepti itineris ad ipsum Concilium sine fraude & dolo continuati ad recedendum ab eodem a quocumque, quavis auctoritate, etiam si Papali dignitate praefulgeat, directe vel indirecte in laesionem & perturbationem dictae Sanctae Synodi requiri, moneri, compelli, citari, evocari ad alium locum, etiam Romanam Curiam valeat, seu ne ad eamdem Synodum veniat, possit aut debeat quomodolibet impediri. Si autem a quocumque, quavis auctoritate, etiamsi Papali dignitate praefulgeat, ut praemittitur, in quocumque attentatum fuerit, seu attentaretur in futurum, aut processus poenales vel mandata, etiam censuras Ecclesiasticas, vel translationes Praelatorum, iurium privationes, seu inhabilitationes eorumdem, seu aliorum beneficiatorum quorumcumque, aliasve poenas quascumque continentes ut ab eadem Sancta

Synodo recedant, vel non accedant ad eamdem, vel eidem non adhaereant fulminati fuerint, fulminentur, vel fulminarentur in futurum, totum ſit irritum & inane, nec eisdem proceſſibus, cenſuris & poenis tamquam irritis & inanibus quomodolibet obediendum fore, praedictoſque proceſſus & cenſuras, quatenus praeceſſiſſent, aut procederentur in futurum caſſat, irritat, & annullat, & pro caſſis, irritis, & nullis habendas decernit, definit, ordinat, & declarat. Eodem igitur hanc declarationem determinante, & definiente quod Papa Concilium pro praedictis congregatum diſſolvere non poſſit, & quod pro caſſis omnes eius vel aliorum conatus habendi ſint, cui dubium eſſe poteſt quod Concilium in caſu talis diſſolutionis non tenetur Papae obedire, ſed magis e converſo?

Item in quarta ſeſſione eiusdem Concilii dicitur quod ipſa Sacroſancta Synodus decernit, ordinat, ſtatuit, & declarat quod quicumque & ſinguli Cardinales, Patriarchae, Epiſcopi, Abbates, Praelati, Reges, Principes, Duces,

ces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Vicarii Ecclesiae, Romani Vassalli, Comunitates, Romanae Curiae officiales, Summi Pontificis familiares, sive alii cuiuscumque conditionis existant, sive quibuscumque nominibus censeantur, propter iuramenta, promissiones, vel quascumque alias obligationes praefato Summo Pontifici, seu alteri ad hoc eius mandato deputato, seu quibusvis aliis, quomodolibet super quacumque re aut causa, & sub quacumque verborum formula praestita vel praestanda nullatenus adstringantur, aut se impeditos a veniendo ad hoc Sacrum Concilium occasione dictorum iuramentorum, promissionum, vel aliarum obligationum praetendere possint, aut poterint in futurum quominus absque periurii, & infamiae nota ad ipsam Synodum teneantur accedere qui de iure aut consuetudine sunt adstricti; ceteri vero qui vocati & requisiti fuerint, & omnium praedictorum procuratores obedire & adhaerere ipsi Concilio, & libere accedere possint & teneantur, & eidem licite interesse: ib'

que interim adicitur cassatio processuum, censurarum, sententiarum etiam periurii, & aliarum poenarum. Si igitur Ecclesiastici viri etiam iuramento vel alia quacumque obligatione adstricti Summo Pontifici, non teneantur obedire in tali facto dissolutionis, sed potius ad Synodum venire adstringantur, manifestum est quod Concilium in tali casu non tenetur obedire Papae, sed magis e converso.

Item in undecima sessione eiusdem Concilii in decreto quod incipit *Cum frequens*, ipsa Sancta Synodus statuit & decrevit quod si Romanus Pontifex ipsum Concilium quoquo modo de facto impedire, mutare, prorogare, dissolvere operam dederit, & infra quatuor menses cum reali satisfactione non resipuerit, ex tunc ipse Romanus Pontifex a Papali administratione sit ipso facto suspensus, quae quidem administratio Papalis ad Sacrum Concilium ipso iure devolvatur: & si poenam praedictam per duos menses post ipsos quatuor animo sustinuerit indurato, quod in ipsum Romanum Pontificem usque

ad privationem inclusive per Concilium Generale procedatur. Statuit quoque in eodem decreto Sancta Synodus quod non obstante quacumque etiam Romani Pontificis prohibitione omnibus cuiuscumque status & conditionis existant, etiamsi sint Romanae Ecclesiae Cardinales, liberum sit ad Concilia Generalia proficisci, quamquam ipse Romanus Pontifex ad ipsa Concilia Generalia accedere volentibus contrairet. Et insuper declarat ibidem Sancta Synodus quod Concilium actu congregatum dissolvi aut de loco ad locum mutari sine ipsius Concilii expresso Consensu per Romanum Pontificem nullatenus possit, cassatque, irritat, annullat si quod forsitan contra haec vel etiam inderogatorum aut impedientium ipsius Concilii Generalis personarumque & Praelatorum, censurasque Ecclesiasticas vel aliter quomodolibet in futurum contigerit attentari.

Item hanc eamdem doctrinam dudum tradidit ipsum Sacrum Concilium Basileense tam in supradicta responsione Synodali quae incipit: *Cogitanti*, ubi per rationes divini & humani iuris

haec probatur pleniſſime, quam in altera reſponſione incipiente: *Separavit* data Oratoribus ipſius olim Domini Eugenii XIV. Kal. Iulii Anni 1433. ubi late exponitur quod Concilium nullo modo debebat pati quod praetenſa diſſolutio prima vice attentata per ipſum Dominum olim Eugenium haberet locum, & ibidem ponuntur haec verba: = Quibus remediis uti poterimus ut ſtatutis hic promulgandis non conveniat, ſi ipſum Concilium per quod ſtatuta ſunt irritari patiamur? Malumus mori, quam tanto errori per ignaviam cedere =. Et infra: = hic articulus de quo diſceptamus fidem concernit, qui ſine interitu ſalutis negligi non poteſt. Si Dominus Eugenius Eccleſiae ſtare non auderet, quam hoc Concilium repraeſentat, opertebit tandem eum habere ſicut ethnicum & publicanum. Si Eccleſiam amplius offendere non vult, recognoſcere neceſſe habet hoc verum fuiſſe & eſſe Concilium, ipſumque diſſolvere nequiviſset =.

Ex quo etiam apparet non eſſe verum quod ab aliquibus dicitur quod paulo

paulo ante ſententiam noviſſime latam contra Dominum olim Eugenium numquam actum fuerat de hac re tamquam de facto fidei, tum in praedicta reſponſione expreſſe dictum fuerat eius oratoribus quod hic articulus de quo erat diſceptatio, tunc ante ſeptem annos inter Concilium & Papam qui erat ſuper poteſtate diſſolvendi Concilium concernebat fidem, & prius in praefata reſponſione *Cogitanti* fuerat dictum quod haereticus eſt ſi quis decreto Concilii Conſtantienſis ſuprapoſito contumaciter contradicat. Item ibidem dictum eſt quod ſi haereticus eſt qui Romanum Eccleſiae Primatum aufert, quanto maior haereticus ille erit qui eam Eccleſiam in qua Romana continetur, quae praeeſt ſuper omnes Eccleſias & omnes homines, poteſtatem habere negat? haec in praefata reſponſione habentur, & ſic apparet repugnare illi decreto Concilii Conſtantienſis quod manifeſtabatur ad materiam fidei pertinere, in quo decreto evidenter continetur, ut dictum eſt, quod Papa non poteſt auctoritative compellere Concilium ad deſiſten-

 dum

dum a reformatione, & extirpatione haeresum.

Item quod in decreto duodecimae sessionis eiusdem Concilii fuit monitus ut praefatam dissolutionem per eum attentatam penitus revocaret, & ipsum Concilium a tempore suae incoationis legitime continuatum fuisse & esse declararet, quod si non adimpleret cum effectu infra quadraginta dies suspensionem ab administratione Papali incurreret ipso facto, procedereturque ad ulteriora usque ad sententiam finalem inclusive: in quo etiam decreto commemoratur quomodo ipse olim Eugenius oratores suos ad Concilium transmiserat non ut emendarent, sed errata defenderent, patresque in Concilio existentes increparent quod mox dissolutioni suae non paruissent: quibus oratoribus per responsiones ipsius Sacri Concilii veritas tam iuris divini quam humani, quod scilicet sine consensu Concili dissolvi ipsum nequiverat, quoniam facti quod causae praetensae dissolutionis verae non fuerant, extitit & luce clarius patefacta veritas.

Item

Item in decreto XIV. sessionis fuit sibi indicta certa forma secundum quam haberet praedictam praetensam dissolutionem revocare, itaque si hoc non faceret, infra nonaginta dies poenae in decreto antedicti monitorii contentae eo ipso inflictae essent, & esse intelligerentur.

Ex quibus omnibus satis apparet quomodo evidenter fuit declaratum per Sacrum Concilium quod in tali actu dissolutionis non tenebatur obedire Concilium Summo Pontifici, sed magis Summus Pontifex in revocatione talis dissolutionis Concilio obedire tenebatur, fueruntque haec facta in Concilio Basileensi eo tempore quo Dominus tunc Cardinalis S. Angeli Sanctae Sedis Apostolicae legatus & alii sex Cardinales Ronumensis, Placentinus, S. Petri, S. Eustachii, Rothomagensis, Firmanus, nec non Ambassiatores Imperatoris, Regis Francorum, Arragonum, Electorum, Ducum Burgundiae, Sabaudiae, Mediolani, & aliorum Principum, Universitatum Coloniensis, Parisiensis, Viennensis, & aliarum, pluresque alii famosi

mosi doctores erant in ipso Concilio, inter quos erat etiam tunc Nicolaus de Cusa vir in praedictis laborans, nec istae res sunt de novo introductae per illos patres qui iam actu sunt in Concilio Basileensi, qui solum in hoc se exhibent defensores doctrinae Ecclesiae, ut ipsi & omnes fideles tenentur, & ipsemet Summus Pontifex illo tempore praedicto Concilium in hac doctrina perseverans approbavit, eique adhaesit, ac dissolutionem per eum factam nullam, irritam, & mancam declaravit, ipsumque Concilium, illa non obstante, legitime continuatum fuisse; ac etiam revocavit quidquid per ipsum aut suo nomine assertum erat contra auctoritatum Concilii Basileensis, aliaque plura in confirmationem auctoritatis ipsius Concilii professus est & declaravit, prout patet ex tenore Bullae suae adhaesionis, quae talis est.

„ Eugenius Episcopus servus servo-
„ rum Dei ad perpetuam rei memoriam.
„ Dudum Sacrum Generale Basileense Con-
„ cilium per generalium Constantiensis &
„ Senensis Conciliorum statuta ordinatio-
„ nesque

„ nesque felicis recordationis Martini Pa-
„ pae V. ac nostrarum pro extirpatione
„ haeresum, pace populi Christiani, ac
„ generali reformatione Ecclesiae in ca-
„ pite & in membris, & pertinentibus
„ ad ea legitime incoatum ex certis cau-
„ sis in aliis nostris litteris expressis de
„ fratrum nostrorum S. Rom. Ecclesiae
„ Cardinalium consilio dissolvimus. Ve-
„ rum cum ex dicta dissolutione ortae sint
„ graves dissensiones, & graviores oriri
„ possent, nihilque magis optemus quam
„ quod praedicta sancta opera debitum
„ sortiantur effectum, de consilio & assen-
„ su Venerabilis fratris Iordani Episcopi
„ Sabinensis, & dilectorum filiorum An-
„ tonii S. Marcelli, Francisci S. Clemen-
„ tis, Angeleti tituli S. Marci praesbite-
„ rorum, ac Luridi S. Mariae in Cosme-
„ din, & Ardetini SS. Cosmae & Da-
„ miani diaconorum S. Rom. Ecclesiae
„ Cardinalium decernimus & declaramus
„ praefatum Generale Concilium Basileen-
„ se a tempore praedictae incoationis suae
„ legitime continuatum fuisse & esse, pro-
„ secutionemque semper habuisse, conti-
„ nuari, ac prosecutionem semper habe-
re

„re debere ad praedicta ac pertinentia „ad ea, perinde ac si nulla dissolutio fa„cta fuisset; quinimmo praefatam disso„lutionem irritam & inanem de Consi„lio & consensu simili declarantes, ip„sum Sacrum Generale Basileense Con„cilium pure, simpliciter, & cum affe„ctu & omni devotione prosequimur & „prosequi intendimus. Praeterea ut men„tis nostrae integritas ac devotio quam „ad universalem Ecclesiam & Sacrum Ge„neraleBasileense Concilium gerimus om„nibus constet evidenter, duas nostras li„teras pridem in Apostolico Palatio pro„mulgatas, nam tertias, quarum tenor „de verbo ad verbum inferius describi„tur, quae dicuntur incipere: Deus no„vit, cum a nobis, aut de scitu no„stro numquam emanaverint, licet super„fluum videatur quod non extat revo„care, tamen quia petitum est, & ad „cautelam, si ullo umquam tempore ap„parerent, & alias quascumque, & quid„quid per nos aut nostro nomine in prae„iudicium aut derogationem praedicti Sa„cri Concilii Basileensis, seu contra eius „auctoritatem factum & attentatum, seu
„asser-

„ assertum est, cassamus, revocamus, irritamus & annullamus, nullas & irritas fuisse declaramus. „ Et infra subiungitur: „ Nos autem deinceps a novitatibus seu praeiudiciis inferendis ipsi Sacro Concilio vel patribus eius, & adhaerentibus eidem realiter & cum effectu desistimus. „ Haec in praedicta adhaesione habentur, & advertendum quod in praedictis litteris in palatio Apostolico promulgatis, quarum una incipiebat *In Arcano*, & alia incipiebat *Inscrutabilis*, & etiam in illis quae incipiebant *Deus novit* plura dicebantur contra auctoritatem Sacri Basileensis, & aliorum Conciliorum Generalium, ut patet inspicientibus eas, quae omnia ibidem revocata fuerunt.

Manifestum est igitur quod Summus Pontifex non potest Concilium congregatum pro extirpatione haeresum, aut reformatione Ecclesiae in capite & in membris aut extirpatione schismatum dissolvere aut transferre sine consensu ipsius, nec in hoc suffragatur quod dicunt, quod & causa potest; nam ad cognoscendum an causa sit sufficiens vel

non

non pro tali diſſolutione vel translatione facienda, non eſt ſtandum iudicio Papae contra iudicium Concilii, ſicut patet ex praedictis, & etiam practica ſuperiori tempore obſervata per Eccleſiam oſtendit. Nam ipſe olim Eugenius in ipſa prima diſſultione allegabat quod pro facto Graecorum neceſſarium erat tunc celebrari Concilium Bononiae infra annum cum dimidio, & propter hoc cum aliis cauſis diſſolvebat Concilium Baſileenſe, & ſcribebat per Bullas ſuas quod talem diſſolutionem ex bonis & iuſtis cauſis fecerat, & nihilominus non ſtetit Eccleſia iudicio ſuo ſed iudicio Concilii, & Concilium mandavit illi ſub poenis, ut dictum eſt, ut illam diſſolutionem revocaret ſub certa forma, quod & fecit.

Nam etſi permitteretur quod in cauſa diſſolvendi Concilium Papa haberet iudicare contra iudicium Concilii, faciliter poſſet diſſolvere Concilium quando ageret de reformatione ipſius vel correctione in fide aut moribus, vel etiam extirpatione ſchiſmatis, dicendo quod haberet agere in alio loco cum Grae-

cis, vel Armenis, vel Turcis, vel Tartaris, aut aliam causam allegando, unde Concilium considerans practicas quas tenebat ipse olim Eugenius pro evitanda reformatione, & supprimenda auctoritate Conciliorum sub colore Graecorum, iudicavit non esse expediens quod se transferret ad locum quem ipse volebat; arbitrabatur enim Concilium ex hoc magnum ruinam Ecclesiae nostrae Catholicae imminere, & etiam in alio loco quam in Ferraria poterat laborari ad unionem Graecorum, in quo pariter fuisset conservata auctoritas Conciliorum, & reformatio Ecclesiae debitum habuisset progressum. Singulariter autem illud nullatenus dissimulare aut permittere potuit quod ipse olim Eugenius auctoritative, licet nulliter, & de facto transtulit Concilium ad Ferrariam, timebat enim ne ulterius a Concilio procedetetur, & fieret aliqua novitas contra ipsum, & Cardinales S. Rom. Ecclesiae, & praesidentes suos qui in Concilio fuerant, aut contra aliquem ipsorum, ut magis infra dicetur; sed satis est ad praesentem articulum

prae-

praedicta praemisisse ad ostendendum quod ipse olim Eugenius non potuit dissolvere, aut transferre Concilium de plenitudine potestatis sine consensu ipsius, praetermissis ad praesens allegationibus plurium auctoritatum quae in hoc allegari possent, & quae in diversis responsionibus Synodalibus latius deducentur.

Restat nunc ostendendum quod ipsum Basileense Concilium nullo modo de consensu eius est translatum vel dissolutum.

In hac secunda parte ostendendum est quod Concilium nullomodo est translatum vel dissolutum de suo consensu, quapropter nec ea quae allegantur per adversarios in quadam cedula quam appellant conventionalem, nec conclusio partialis facta per legatos Apostolicos, & quosdam sibi faventes, neque alia possunt valere ad ostendendum Concilium esse translatum vel dissolutum de suo consensu. Hoc autem deducitur notorie.

Primo ex iis quae intervenerunt tem-

Bibl. Jes.

tempore ordinationis dictae cedulae in qua se fundant adversantes.

Secundo ex iis quae contigerunt tempore quo legati olim Eugenii, cum paucis sibi faventibus dixerunt, faciendam esse electionem de Florentia.

Tertio ex iis quae postea subsequuta sunt, & facta fuerunt per Concilium, etiam ipsis legatis Papae cum suis faventibus consentientibus.

Quarto ex iis quae postea facta sunt per ipsum olim Eugenium.

Quantum ad primum notorie est falsum, quod adversarii dicunt esse principale fundamentum suum, videlicet quod cedula, quam allegant pro se, fuit conventionalis, per quam Concilium conclusit & disposuit die vigesima tertia Februarii an. 1437. quod infra triginta dies a tempore recessus quatuor oratorum suorum, Avenionenses contentarent Capitaneum Galearum de triginta millibus & octingentibus florenis, & residuum pecuniarum, usque ad summam septuaginta millum, traderent realiter in pecunia numerata, quodque infra duodecim dies sequentes praefati

Oratores & Avenionenſes tenerentur certificare Concilium de praedicta ſatisfactione, alioquin ex tunc Concilium poſſet & teneretur alium locum eligere, ac ſibi & univerſali Eccleſiae aliunde providere. Si enim fuit ibi aliqua pactio aut contractus, aut fuiſſet Concilii cum ſe ipſo, & hoc dici non poteſt, quia neceſſaria eſt differentia realis ſeu perſonalis inter contrahentes, aut fuiſſet huiuſmodi contractus inter Concilium & alium, vel alios qui non eſſent Concilum, ſeu de corpore eius, utpote inter Graecos de quorum unione agebatur per Concilium, vel inter Concilium & Avenionenſes de quorum actu diſponebat dicta cedula; ſed conſtat quod non, quia ibi neuter horum nominatur, ſed ſolum dicitur quod Concilium ſic concluſit, aut dicitur quod inter patres Concilii fuit ad invicem iſta conventio, eo quod primo inter eos fuiſſent diſceptationes, & per hoc reducti fuerunt ad concordiam. Et hoc ſtare non poteſt quia eodem modo poſſet dici fere de quocumque decreto Synodali; vix enim

aut numquam contigit quod cum ponitur aliqua materia in deliberatione, ſtatim concordent omnes perſonae Concilii, ſed antequam conveniant in eamdem Sententiam etiam in materiis fidei, nonnumquam ſunt inter ipſos graves diſceptationes, unde Symbolum Nicaenum, aut articuli Fidei, & alia declarata in generalibus Conciliis, ſimiliter & quaecumque fere Synodalia decreta, deberent ea ratione dici cedulae conventionales.

Item in eadem cedula non exprimitur quod primo fuiſſent differentiae inter diſtinctas partes in Concilio, utpote inter nationes Germaniae & Italiae, aut Franciae & Hiſpaniae, ſed Synodus dicit ſic in praedicta cedula: „ Pro felici expeditione dominorum Ambaſſiatorum in Graeciam iturorum viſa ſunt haec deputatis in materia graecorum infraſcripta: primo quia domini Ambaſſiatores &c„: ita quia ibi nulla mentio fit de aliqua differentia quae primo eſſet inter patres, quaſi eſſent duae partes diverſae, omnes enim reputant ſe eiuſdem Concilii membra, nec aliquis vult reputari quaſi non

ſit de corpore Concilii, aut quod ſit adverſarius aliorum, ut ſic inter partes dicatur eſſe adverſaria contentio.

Si vero diceretur, quod licet non ſpecificetur, tum primo erat contentio inter Concilium & Legatos Papae facientes partem determinatam a Concilio, quod tamen non ita ſe habebat, adhuc iſto modo intelligendo, multo minus poteſt dici quod fuerit actus conventionalis, aut per modum contractus; in huiuſmodi enim requiritur utriuſque partis aſsenſus: enimvero ad dictam Cedulam diſſenſerunt expreſſe, & proteſtati ſunt in contrarium Legati Papae.

Unde evidentiſſime patet eſſe falſum illorum fundamentum, quod dicta Cedula cenſenda ſit conventionalis, fuit enim illa concluſio Concilii intra ſe, nec erat aliqua perſona diſtincta a Concilio cum qua facerent conventionem aliquam; tamen oportuiſſet illum cum quo Concilium conveniſſet eſſe perſonam diſtinctam ab ipſo Concilio, cum de natura conventionis ſit, quod fiat inter partes diverſas & diſtinctas, ut praemiſsum eſt; unde ſolum illa

verba

verba „ posset & teneretur „ importabant simplicem voluntatem & ordinationem Concilii, quam immmutare & revocare poterat & ab ea recedere, si ei videretur, sicut de hoc iura faciliter possunt allegari.

Secundo ruit eorum fundamentum quia non attendunt ad obligationem per dominos Abbatem Bonevallis & Raimundum Taloni factam ex parte Concilii civibus Avenionensibus, qui Abbas & Raimundus missi fuerant a Concilio cum potestate dandi cautionem ipsis Avenionensibus, & iuxta tenorem potestatis eis datae, fecerunt obligationem & pactum cum eis de Avenione, quod haberent decretationem electionis locorum Basileae, Avenionis, & Sabaudiae, & impositionis decimae, antequam exbursarent illam summam septuaginta millia florenorum, ac etiam ypothecarent eis pecunias ex indulgentiis & decimis provenientes. Et haec facta fuerunt per eos ante conclusionem praedictae Cedulae; sed Concilium non habebat adhuc notitiam de iis quae per dictam Cedulam conclusit, quae si co-

gno-

gnovisset nullatenus praedictam cedulam conclusisset. Unde manifestum est quod Concilium non debuit, sive non potuit, aut saltem numquam suae intentionis fuit venire contradictam obligationem factam suo nomine, & sic cessabat effectus principalis dictae cedulae, videlicet quod primo tradere deberent pecuniam, & postea fieri decretationem: obligatio namque facta nomine suo habebat contrarium, & oportebat Concilium servare obligationem factam nomine suo.

Tertio invalidum est fundamentum eorum; nam posito quod dicta obligatio non praecessisset, & cedula fuisset conventionalis, quod non erat, nihilominus obligatio in ipsa contenta intelligenda erat, legitimo impedimento cessante, & sine dolo & fraude. Sic enim dicitur in conventione inita inter Concilium & Graecos in decima nona Sessione, & „ quod praedicta omnia & singula intelligi debent bona fide, sine fraude & dolo, & absque impedimento legitimo & manifesto „. Constat autem notorie quod ipsis Avenionen-

nen-

nensibus hoc tempore intermedio supervenit impedimentum legitimum & manifestum : siquidem his diebus, infra terminum in dicta cedula praefixum, ad Avenionem missi ab olim Eugenio & Archiepiscopus Cretensis & Iacobus de Racaneto clericus Camerae Apostolicae, qui ex parte illius iteratis vicibus perhibuerunt iisdem civibus, & prout potuerunt, institerunt, ut nullatenus mutuarent Concilio dictam summam septuaginta millium ducatorum, & cum ipse olim Eugenius esset dictae civitatis, manifeste patet de impedimento legitimo. Item tempore quo accesserunt dicti oratores Concilii in Avenionem, contigit Dominum Cardinalem de Frixo Legatum & Gubernatorem civitais, cum allis principibus eiusdem civitatis, esse apud dominum Regem Franciae, qui tunc erat in Lingua ocatana; itaque non fuit eis utile tempus totum in cedula contentum, ut in decem, vel minus diebus qui restabant eis, possent providere ad tam magnam rem. Praeterea si in ea re intervenerit dolus aut fraus, non est ad praesens dicere.

Quatro

Quarto ruit fundamentum adversantium quod ad hoc quod dicunt non fuiſſe ſatisfactum per Avenionenſes in tempore. Equidem cum ultimus oratorum receſſerit de Concilio ultima Februarii, litterae ipſorum quatuor oratorum, videlicet Epiſcoporum Lubicenſis, Parmenſis, Viſenſis, & Lauſanenſis certificantes de ſatisfactione applicuerunt Baſileam undecima Aprilis ſero, & hoc erat infra illos duodecim dies, infra quos dictum erat quod Ambaſsiatores Concilii & Avenionenſes tenerentur certificare Concilium, & ſequenti die fuerunt publicatae in congregatione generali. Item aliae Litterae ipſorum oratorum plenius ſpecificantes factum fuerunt publicatae Concilio quartadecima die eiuſdem, nec poſtea inter praeſentes movebatur quaeſtio ſuper diſcordia temporum, & ſolum utrum per hoc, quod littera oratorum dicebat, quod de reſidua ſumma fecerunt eos cautos & ſecuros, cenſeretur ſatisfactum eſſe dictae cedulae per cives Avenionenſes.

Exinde autem ſatisfecerunt ſufficienter

ter intentioni Concilii, etiam ſi non tradiderint realiter in pecunia numerata dictam ſummam ad manus ipſorum oratorum, uti apparet ex ſequentibus. Et primo quia iuxta obligationem factam eiuſdem nomine Concilii, ipſi nihil tradere tenebantur, niſi primo haberent decretationem locorum, ac impoſitionis decimae, quae per eos petebatur a Concilio pro legitima cautione tantae ſummae mutuandae, videlicet ſeptuaginta millium ducatorum, tamen ipſi, abſque obtentu alicuius ex iſtis, contentarent Capitaneum de triginta millibus & octingentis ducatis, & de reſidua ſumma ſecuros & cautos fecerant oratores Concilii ſic, quod certificatio de hoc venit ad Concilium in termino contento in cedula, modo ſupradicto.

Item ſecundo quia tempore acceſsus ipſorum Oratorum Concilii, principales gubernatores non erant in Civitate praeſentes, & ſic non videbatur eis tempus curandi rem.

Item tertio quia impedimenta fuerant eis praeſtita, & prohibitio facta

ex

ex parte olim Eugenii Papae ne traderent Concilio dictam summam, qui pro tunc erat dominus eorum, quod apud omnes, & maxime intelligentes, debet censeri legitimum & sufficiens impedimentum.

Item quarto, quia cum iam ypothecata fuissent eis omnia emolumenta praedicta, & ipsi contentassent Capitaneum de tam grandi summa triginta millium & octingentorum ducatorum, qui Capitaneus fuerat deputatus ad ducendas Galeas per totum Concilium, cui etiam Reverendissimus Dominus Cardinalis S. Sabinae tradiderat manu propria in generali Congregatione baculum & vexillum Capitaneatus, & ipsum etiam Concilium pacta & conventiones cum eo fecerat, nam res non erat integra ut procederetur ad electionem aliam: itaque rationabiliter Concilium indicavit eos satisfecisse praedictae ordinationi sufficienter & quod ad intentionem Concilii; hoc est enim quod principaliter requirebat Concilium, se certum fore ac securum de habenda ab eis summa praedicta septua-

ptua-

ptuaginta millium ducatorum : nam & hac ſecuritate habita non reſtabat niſi per Concilium quin haberet pecunias cum vellet, ex quo amplius non ſtabat per Avenionenses quin pecunia expediretur, habita decretatione locorum & decimarum, quam decretationem Concilium poterat expedire quandocumque volebat, ad quam etiam erat obligatum per pacta facta ab Ambaſsiatoribus ſuis, ut dictum eſt; & ſic iam non imputari debebat ipſis Avenionenſibus retardatio expeditionis pecuniarum, & hanc certitudinem & ſecuritatem dederunt ſufficienter ipſi quoque oratores Concilii, quibus erat commiſſum perhiberent teſtimonium quod de reſiduo eos ſecuros & cautos fecerunt.

Id etiam unum circa hoc venit in publico manifeſtandum, quod non expediebat, immo erat ruptura negocii ipſius unionis, de qua agebatur, ſi per Concilium proceſſum fuiſſet ad aliam electionem, primo propter difficultatem in concordando; experientia namque monſtravit quot anguſtias paſſum erat Concilium in faciendo prius

ipsam

ipſam electionem locorum, & quantae difficultates ingeſtae fuerant circa loca Italiae, de quibus cum non haberetur ſecuritas quo ad habendum pecunias & alia neceſſaria, propterea quod de Florentina & Utino, licet non plene, ac terris Ducis Mediolanenſis, hae dominationes ita invicem ſibi adverſabantur, quod dux Mediolanenſis proteſtabatur non pati fieri tranſitus per terras ſuas, aut ſuorum amicorum & confoederatorum, & revocabat omnes ſalvos conductus ſi iretur Florentiam pro Concilio; unde non poterat eligi Florentia ſicut locus tutus pro Concilio, adverſus quem tot comminationum impedimenta fiebant, ſimiliter erat praeſumendum quod faceret de Utino in patria Foriiulii ſub dominio Venetiarum.

Tertio etiam, quia expertum fuerat in diebus noſtris quod aſtutia Romanorum Pontificum tam facile diſsolverentur Concilia in Italia, abſque hoc quod in eis fieret refomatio, ad quam congregata fuerunt, ut manifeſte legitur de Piſano, Romano, Papienſi, & Senienſi, unde inclytae memoriae Sigiſ-

mun-

mundus advisaverat Concilium quod non transferret se, nec nominaret locum in Italia, quia hoc esset Concilium dissolvere, prout patet in cedula signata nomine suo per Georgium Fiscel oratorem ipsius die 28. Septembris anno trigesimo sexto. Idem expresse hoc dictum est postea per Episcopum Argensem Ambassiatorem suum in congregatione generali die 19. Iunii, & per litteras suas signatas in congregatione die 17. Iulii, & specialiter quod Florentia non esset locus pro Concilio, & quod esset sibi inimica, multaque similia & graviora apponebantur contra electionem loci, si in Italia deberet fieri,

Iterum Concilium tractatum fecerat cum Capitaneo de parandis Galeis, & ipse iam dicebatur quasi in totum parasse, fueratque contentus nomine Concilii in triginta millibus ducatorum & octingentorum, & prout dictum est, erant ypothecata civibus Avenionensibus emolumenta provenientia ex Indulgentiis, & impositione decimae. Iam ergo cum res non erat in-

integra, Concilium non poterat honeſte procedere ad aliam electionem.

Item ſi tentaſſet alicuius electionem facere, tranſiſſet multum de tempore, & multo tardius Galeae potuiſſent applicare Conſtantinopolim, unde ex iis manifeſte patet quod Concilium procedere non habebat ad alicuius electionem.

Item non poteſt ad intentionem adverſantium valere quod dicitur Ioannem Diſſipatum fuiſſe protetestatum contra electionem factam de Baſilea, Avenione, & Sabaudia, primo quia ipſe Diſſipatus non poterat proteſtari adverſus decretum in quod ipſi Graeci expreſſe conſenſerant, & in quo expreſſe Sabaudia nominabatur, atque etiam ipſe dicebat quod ipſi puntualiter vellent ſtare in illo decreto, nec ab eo quoviſmodo recedere, nec etiam ad hoc oſtendit mandatum aliquod ex parte Imperatoris Graecorum; immo quando venit exhibuit primo unam litterarum credentiae, & explicando credentiam ſuam in congregatione generali, nihil dixit de illa materia, quia

etiam

etiam nihil poterat ſcire de huiuſmodi electione quando ex Conſtantinopoli receſſit, ſed poſtquam fuerat Baſileae per aliquot dies illam proteſtationem exhibuit in latino eloquio, non quidem compoſitam per eum, qui vix linguam latinam explicare parum ſciebat, ſed per aliquem dictum iuriſtam, ad quam fuit reſponſum in congregatione tam per Dominum Cardinalem Arelatenſem, quam per procuratorem fiſcalem, ſicut conveniens erat, & declaratum quomodo Concilium fecerat nominationem locorum iuxta decretum concordatum, & poſt haec ſupradicti quatuor Epiſcopi ituri Avenionem & in Greciam, ex deliberatione totius Concilii pro executione eiuſdem electionis, ab Archiepiſcopo Bituricenſi ſolemniter Miſſam celebrante in Concilio, iverunt in Avenionem.

Contra hoc etiam quod dicebat praefatus Ioannes Diſſipatus Graecos non eſſe venturos per mare Siculum, manifeſte facit quod cum audiverunt Graeci in Coſtantinopoli Galeas parari in Ianua fecerunt magnum gaudium, & ite-

iterum cum certius audierunt eas parari in portu Pisano, ad quos portus venire habebant per mare Siculum, per quod mare Ianuenses, Catalani, & alii assidue vadunt, nec de hoc faciunt difficultatem, quod etiam dicebat Dissipatus Graecos per Sabaudiam intellexisse patriam ultra montes in Italia, manifestum est contrarium, quia dicebatur in decreto extra Italiam Vienna, Buda, Sabaudia, & ita in hoc non erat standum verbis ipsius Dissipati.

Item nec potest valere illud quod allegatur ex adverso dicentium quod cum in dicta cedula taceatur quod post lapsum tredecim dierum Concilium posset & teneretur ad aliam electionem procedere, quod ergo eo ipso expiravit electio prima per Concilium facta de Basilea, Avenione & Sabaudia, illa enim electio non diceretur cassata nisi per actum contrarium, etiamsi Concilium disposuisset facere aliam electionem, quemadmodum si quis facit testamentum & disponit de volendo facere aliud, licet illud iamdiu facere

incipere, non censetur primum esse cassatum donec fecisset aliud, clausula namque ipsius cedulae, quod concilium possit & teneatur procedere ad electionem alterius loci, non habet vim annullationis, vel nullitatis electionis primo factae, etiamsi tempus praeteriret.

Item, prout sunt iura vulgaria, nemo potest sibi imponere legem a qua non possit recedere, ac de suo actu aliter disponere quam primo ordinavit: esto enim quod quis iurasset non vendere librum, si postea vendat, teneret venditio, quia non posset sibi ipsi imponere legem; unde cum dicta Cedula nullatenus fuerit conventionalis, sed quoddam advisamentum vel ordinatio Concilii, liberum erat ipsi Concilio, iuxta circumstantias, vel aliam electionem facere, vel in prima manere. Et ex eo quod aliam non fecit censetur primam manere, cum Concilium non processerit ad actum contrarium, sed perstiterit in primo; nec censetur Concilium fuisse negligens ut sic dicatur devoluta potestas eligendi ad pauciores; non enim imputari po-

test Concilio negligentia contra factum electionis, immo diligenter deliberavit Concilium quid in hoc esset agendum, & habita matura deliberatione, omnibus circumstantiis consideratis. conclusit persistere in prima electione, quam fecerat de Basilea, Avenione & Sabaudia, & in hoc revocavit tacite illam ordinationem, & conclusionem suam prius factam de procedendo ad aliam electionem, si aliquam vim habere videretur, sicut revocare poterat, ut supra dictum est, indicavitque magis expedire Reipublicae, & bono Ecclesiae, ut persisteret in prima electione, quam ad aliam electionem novam procederet, attentis circumstantiis rerum, nec in hoc poterat minor pars resistere praeferendo iudicium suum iudicio minoris partis in duplo.

Item nec in isto casu habet locum devolutio, quia devolutio non fit ad minorem partem nisi in casibus expressis in iure: hoc autem non reperietur in casu nostro.

Secundo & principaliter deducitur intentum, videlicet quod Concilium non

non fuit diſſolutum ex ſuo proprio conſenſu, ex iis quae contigerunt tempore quo Legati tunc Papae dixerunt, ſe feciſſe electionem de Florentia, Utino &c.

Primo quia cum fuerit ſtatutum Synodaliter in decreto undecimae Seſſionis incipiente *Quum Frequens* ut Baſileenſe Concilium per neminem, etiamſi Papalis fuiſſet dignitatis diſſolvi, aut de loco ad locum mutari poſſet, niſi de expreſſo conſenſu duarum partium cuiuslibet deputationis, votis ſingulorum ſcrutatis in ipſis deputationibus, ac etiam deinceps facta ſcrutatione votorum in congregatione generali, & duabus partibus ipſius congregationis concurrentibus, manifeſtum eſt quod numquam in electionem Florentiae, aut Utini, quam procurabant dicti Legati, conſenſerunt duae partes cuiuslibet deputarionis, immo neque tertia pars, & in aliqua deputatione ubi erant octoginta patres, ſolus unus formam illius praetenſae declarationis partialis deliberavit habendam, & dixit ſe nomine ipſius deputationis Concilii ita ſentire

de re; nec habet ſanioritas allegari in minori parte, cum numerus in duplo excedit, prout de hoc facile jura poſſunt allegari.

Item ſecundo quia non fuerunt ſcrutata vota ſingulorum in generali congregatione, prout requirebatur; unde cum abſque praedicta forma Concilium etiam per Papam diſſolvi aut transferri non poterat, multo minus per dictos Legatos cum ſuis paucis faventibus, reſiſtente eis multitudine Patrum, pluſquam in quinque aut ſex partibus.

Nec obſtat id quod dicitur ex adverſo, quod illud decretum undecimae ſeſſionis fuit revocatum in decimanona cum pactum eſt initum cum graecis, quaſi Concilium conſenſerit in translationem ſui poſt adventum Graecorum infra menſem; manifeſtum eſt enim quod illa decima nona Seſſio non contradicit undecimae praedictae, ut cenſeatur per eam revocari; nam etiam neceſſe eſt intelligi quod ante translationem Concilii in adventu graecorum, oportebat notare aliquem ſpecifice,

cifice, quia ſic erat compactatum, ut per oratores Concilii ituros in galeis notaretur locus Graecis, quem Concilium acceptaverat pro celebranda Synodo oecumenica, etiam alii patres noſcerent ad quem ex ſeptem locis nominatis per Graecos ſe deberent transferre, & in illa electione ſpecifica loci, ſine qua non poterat fieri translatio, reſtabat adhuc, & fieri habebat illa ſcrutatio votorum contenta in praedicto decreto *Cum frequens*. Item ſi illud decretum *Cum frequens* poterat revocari per aliam concluſionem Concilii, ut adverſarii dicunt, quod fuerat per omnes concorditer concluſum, & in ſeſſione publica ſolemniter decretatum, licet etiam in eo poneretur quod Concilium non poſſet alio modo diſſolvi vel transferri quam illo, qui ibidem determinatus fuit, quanto magis praedicta ſimplex concluſio facta contradicentibus praeſidentibus Apoſtolicis, in qua fundant totum factum ſuum praedicti adverſarii, potuit per aliam concluſionem revocari?

Item

Item attendendum eſt quod in illa concluſione ſpeciali, quam dixerunt decretum, non reperitur quod fecerint aliquam electionem de dictis locis Florentia, Utino &c. dicunt enim ſic: *Cum autem tempus iſta exequendi in foribus inſtet, cupiens haec Sancta Synodus ſuis penitus pollicitationibus ſatisfacere, & tam pium negotium, quo hoc tempore ſalubrius excogitari nequit, totius viribus ad optatum finem perducere, ad hanc ſuis deputationibus, ac deinde in generali congregatione concluſionem devenit, ut videlicet civitas Florentina, aut Utinum in patria Foriiulii, ponenda in manu Concilii, ſeu quicumque alius locus tutus in decreto comprehenſus, Summo Pontifici & Graecis accommodus pro oecumenico Concilio eligatur, ille videlicet de praedictis qui citius paraverit & expedierit galeas, pecunias, & alia neceſſaria, datis etiam ſecuritatibus neceſſariis.*

Ex iſta clauſula manifeſte patet quod per illam partialem concluſionem nullus locus cenſetur electus, ſed dicit quod eligatur in futurum, & ſic

non

non poteſt dici quod Concilium umquam elegerit Florentiam aut Utinum &c. ut ſic cenſeatur obligatum ad ſe transferendum in talem locum, tempore acceſſus Graecorum. Et ſi tunc dixerunt ſe facere dictam partialem concluſionem, numquam aliquis eorum locorum fuit per eos electus, & manifeſtum eſt quod etiam nec poſtea fuit electus, quia nullam aliam electionem dicti legati cum paucis faventibus ſuis dicunt ſe feciſſe, neque exiſtentes Baſileae, neque Bononiae, neque alio quocumque loco mundi.

Item quarto, poſito quod ad dictos legatos cum ſuis adhaerentibus devoluta eſſet poteſtas eligendi locum, ut dicunt, in negligentiam Concilii, quod tamen nullam competentiam habet, ut oſtenſum eſt, illi adhuc non potuerunt ſe nominare ſanctam Synodum, nec oratores ſui mittendi ad Conſtantinopolim, dicendi erant oratores Concilii. Contractus autem de quo fit mentio in XIX. Seſſione erat inter Concilium & Graecos, non autem inter Graecos & Legatos Papae cum ſuis paucis ad-

hae

haerentibus. Symbolum namque Nicaeni Concili non dicitur esse illa doctrina quam decem & septem Episcopi dissentientes a multitudine patrum asseruerunt esse veram, sed potius illa definitio quae facta est a maiori multitudine patrum. Similiter contigit de articulis declaratis in primo Ephesino Concilio, quorum contrarios fecit Nestorius cum suis paucis adherentibus; & ita de definitionibus aliorum generalium Conciliorum, a quibus per nonnullos facta est dissensio. Unde si haec ianua aperiretur quod in generalibus Conciliis pauci dissentientes a multitudine patrum possent se appellare Synodum generalem, nunquam quasi in futurum in Ecclesia Dei posset esse certum fraenum & stabile in iis quae pertinent ad fidem & mores; faciliterque possent quamplurima scandala contingere, utpotequod pauci, contradicente maiori parte Concilii etiam in duplo & amplius, legerent cedulam unam de depositione summi Pontificis, privatione vel translatione Imperii, similiter & Regum, vel Principum aut Praelato-
rum,

rum, vel Ordinum, & ita de infinitis aliis periculosis actionibus, & quod maxime animadvertendum est, nusquam legitur ab initio celebrationis generalium Conciliorum, quod pauci dissentientes a multitudine Patrum ausi fuerint se nominare Sanctam Synodum generalem, aut quod eorum conclusio partialis fuerit attemptata, tamquam Synodalis constitutio. Haec namque iam ab antiquo fuit facta declaratio in Nicaeno Concilio, ubi sic definitum est: *Sane si consensu rationabiliter approbato secundum Ecclesiasticam regulam, duo vel tres animositate ducti per contentionem contradicant, obtineat plurimorum sententia Sacerdotum*. Item in Toletano: *Cum vero in qualibet Sancta Synodo quid agitur, aut pacifice inter pontifices quidpiam definitur, si pauciores per contentionem forte dissentiant, aut commoniti plurimorum cedant sententiis, aut cum dedecore confusionis abscedant, aut exactionis annatae summam luant*. Unde cum dicti Legati cum suis paucis adhaerentibus non possent se nominare Concilium, resistente eis maiore multitudi-

ne Patrum in duplo, manifestum est quod ipsi non potuerunt facere aliam electionem, sicut praetendunt: cedula enim dicebat quod Concilium teneretur & posset, non autem quod legati Papae, qui in eam non consenserunt cum suis paucis adhaerentibus; immo cum ipsi dictae cedulae repugnaverint, iniquum censetur ut ex ea iuvare se velint. Itaque omnibus volentibus animadvertere liquide patet, quod Concilium Basileense numquam fuit dissolutum de proprio consensu, attentis iis quae contigerunt tempore quo dicti Legati cum paucis faventibus conati sunt procedre ad illam quam praetendunt electionem de Florentia, Utino &c.

Tertio ordine probatur intentum principale ex iis, quae postea subsequta sunt, & facta fuerunt per Coucilium, etiam in id expresse consentientibus dictis legatis Papae cum adhaerentibus suis.

Ptimo quia cum Sacrum Concilium vellet plumbare suum synodale decretum de electione Basileae. Avenionis,

nis, & Sabaudiae, nec clavigeri per Concilium deputati ad hoc possent habere bullam, quia erat in manibus legati tunc Papae, qui cum aliis collegis & sibi adhaerentibus instabant quod sua conclusio sola bullaretur, tamquam decretum, aut simul cum alio, nihilominus ipsi consenserunt expresse quod tres domini, videlicet Cardinalis S. Petri primus Apostolicorum legatorum, Archiepiscopus Panormitanus ambassiator Regis Aragoniae, & Episcopus Burgensis ambassiator Regis Castellae haberent plenam potestatem super bullationem litterarum de quibus agebatur, & earum destinatione; qui quidem bullaverunt dumtaxat decretum de electione locorum, & partialem conclusionem praesidentium, & sibi faventium reiecerunt, ut ipsimet in generali congregatione decima prima die Iunii confessi sunt, Synodaliaque decreta facta a duplo maiori parte super praefata electione, & impositione decimae, & alias litteras dirigendas super his in Avenionem & Constantinopolim per ipsos bullatas, miserunt

runt praefati tres domini per dominos Rodulphum de Rudeſshen cantorem Wormatienſem, & Archidiaconum Metenſem.

Ex quo manifeſte apparet quod ipſi praeſidentes, & ſui faventes per actum contrarium deſtiterunt a prima partiali concluſione ſua, bulla namquam eſt teſtimonium Synodalis conſenſus; & cum impoſſibile ſit uno & eodem tempore in duo contraria conſentire, Concilium eo ipſo quod omni communi conſenſu appoſita eſt vera bulla Concilii praedicto Synodali decreto, manifeſtum eſt teſtimonium quod in eo ſolo conſenſit Sancta Synodus, non autem in illo quod ipſi contrariabatur. Itaque iudicandum eſt dumtaxat fuiſſe Synodale decretum illud videlicet, in quo omnes conſenſerunt apponi verum teſtimonium Synodalis conſenſus, hoc eſt Sigillum, ſeu bulla Sacri Concilii.

Evidentiſſimum eſt namque quod inter praedictum Synodale decretum, & illam partialem concluſionem legatorum Papae erant mulrae contrarieta-

tes, in illo enim ſolum nominantur loca Baſilea, Avenio, Sabaudia, in iſta autem Florentia, Utinum &c; Item ibi diſponitur electio facta de praeſenti, in hac autem dicitur quod eligatur in futurum. Item in illa datur facultas Oratoribus Concilii quod nominent Graecis portum dictis tribus locis propinquiorem & aptiorem, in iſta autem nominantur portus Venetia, Ravenna, Ariminum, quem ex iis Graeci mallent eligere. Item in illo decima iam impoſita per Concilium & concluſa decretatur & ſtatuitur quod exigatur & perſolvatur; in iſta autem dicitur quod decima neque eligeretur, ſicut etiam aliae multae contrarietates, & contradictiones de quibus dicere ſuperſedetur ad praeſens. Sufficit autem intelligere quod ex quo dicti legati cum ſuis adhaerentibus conſenſerunt expreſſe, illud eſſe validum quod fieret per privatos tres dominos, & per conſequens conſenſerunt dictam electionem locorum Baſileae, Avenionis, & Sabaudiae confirmare, & conſignari vera bulla Sacri Concilii tamquam

Sy-

Synodale decretum, & ſuam partialem concluſionem a bullatione reiici, nec unquam in hoc contradixerunt, eo ipſo cenſetur deſtitiſſe a ſua partiali concluſione. Unde manifeſte & evidenter convincuntur confiteri quod ſua partialis concluſio nunquam fuit Synodale decretum, quod, ut praemiſſum eſt, duae ordinationes ſibi invicem contradicentes non poſſunt ſimul fieri ab uno & eodem Concilio, uno & eodem tempore; blaſphemum enim eſt & erroneum quod ſpiritus Sanctus loquatur diverſas ſententias contrarias ſuper eadem re uno & eodem tempore. Quinimmo, dato hoc per poſſibile aut impoſſibile quod Deus, qui mentiri non poteſt, non dictaret ſententias Synodales intelligendo totum eſſe humanum quicquid agitur in Concilio, evidentiſſimum eſt quod uno & eodem tempore Concilium non poſſet duas contrarias Sententias proferre. Itaque ſi quis vigor fuiſſet primo in ſua partiali concluſione, hic intelligitur evacuatum fuiſſe per ipſorum expreſſum conſenſum, quod electio facta a multitudine Patrum

trum bullaretur tamquam verum Synodale decretum, & quod ſua partialis concluſio teiceretur.

Item hoc patet ex eadem ratione per alium conſenſum ſuum, videlicet quia conſenſerunt quod dictum decretum Synodale per oratores ſub nomine Concilii mitteretur in Avenionem, & traderetur; fuit enim commiſſum nuntiis Concilii, quos praefati domini miſerunt nomine Concilii in Avenionem, ut deberent dicere civibus Avenionenſibus quod licet occaſione ordinationis a Concilio factae eo tempore quo dicti quatuor oratores miſſi fuerunt ad eos pro recipiendo dictam ſummam, non modica contentio orta eſt in Concilio, tamen poſt multas & varias agitationes Sacrum Concilium. deliberavit deſtinare bullas per eos poſtulatas, quas eiſdem puntarent, & quod receptis pecuniis ſollicitarent oratores Concilii, qui erant in Avenione, darentque omnem operam poſſibilem cum Capitaneo ut confeſtim ab Avenione recederent & facerent iter in Graeciam iuxta alias per

ſa-

ſacrum Concilium deliberata . Cum itaque dicti legati cum ſuis paucis adherentibus in huiuſmodi deſtinatione decretorum Synodalium ad Avenionem expreſſe conſenſerint, nec umquam contradixerint, manifeſtum eſt quod per huiuſmodi conſenſum evacuata fuit illa ſua concluſio partialis quae dicebat de conttaria executione in miſſione galearum de Florentia vel Utino ſub nomine Concilii &c.

Ex iis autem manifeſta eſt reſponſio ad illam excuſationem, quam adverſarii Concilii auditi ſunt allegare, videlicet quod licet praedicti legati cum ſuis paucis conſenſerunt in dictos commiſſarios, quod haberent plenam poteſtatem ſuper bullatione dictarum literarum & earum deſtinatione, in eadem tamen commiſſione Synodali ſubiungitur haec clauſula: *Itaque per hoc quod facient, nullum praeiudicium alicui generetur*. Ex hoc ergo dicunt quod per dictam bullationem & deſtinationem nullum praeiudicium eis factum extitit, quantum ad ſuam partialem concluſionem.

Re-

Responsio est in aperto : si namque ad rei veritatem attenderent, fortasse non multum devairent a vero in hoc quod dicunt, per hoc non eis esse factum praeiudicium ; quia cum fit id quod iustum est fieri, nullus debet praetendere in eo sibi praeiudicium generari ; iustitia enim & aequitas nulli sunt praeiudicialia. Iustum autem & aequum fuit bullam, quae est in testimonium Synodalis consensus, apponi illi ordinationi in qua consensit multitudo patrum Concilii, non autem illi partiali conclusioni quam dixerunt se facere pauci a tota multitudine dissentientes. Item quod illa Synodalis ordinatio executioni traderetur, non autem illa quae ab hac dissentiebat : unde cum ipsi numquam ausi fuerint dicere ipsos duos commissarios, in quos consenserunt, expresse fecisse quod erat iniquum, sed potius id quod iustum erat, merito igitur possent dicere quod per dictam plumbationem & destinationem ipsis non fuit praeiudicium aliquod generatum. Item cum ibi non ageretur de re alicuius perso-

nae, vel aliquarum, ſed de re Conciliari, dum tam illi de maiori parte quam de minori dicerent ſe facere Concilium, & per omnes concorditer eſſet praedictis tribus dominis tributa poteſtas, ut illud quod fieret per eos eſſet validum, non poſſunt poſtea cauſari quaecumque perſonae quod ex actu ipſorum trium dominorum, fuerit eis aliquod praeiudicium generatum.

Si autem dicant id eſſe praeiudicium, quod licet ſit iuſtum & aequum, ſit tamen contra ipſorum voluntatem, etiam iſto modo accipiendo praeiudicium, non poſſunt iuvare ſe ex dicta clauſula quam allegant: quum enim duo aut plures compromittunt in iudicem ſuper re ubique indiviſibili, quae utrique participari non poteſt, ſi illa per eos quibus expeditio rei committitur adiudicatur & tribuitur uni ex illis, ex quo expreſſe conſenſit in iudicem illorum, nec umquam poſt habitam notitiam de re iudicata contradixit, manifeſtum eſt quod de cetero ſi per ſe illam occupare velit, iniuſte & inique agit etiamſi in illa commiſſione

esset posita similis clausula: *quod nulli praeiudicium generaretur*: hoc enim posset intelligi quantum ad id quod rei indivisibili iudicatae non esset incompatibile, sed non quantum ad id quod praecise uni ex illis posset competere. Constat autem, ut praemissum est, quod super eadem re non potuit esse nisi unum Synodale decretum, nec ipsius debuerunt esse contrariae executiones. Cum ergo ipsi expresse consenserunt in id quod fieret per dictos commissarios, & ipsi, dicta partiali conclusione reiecta, iudicarunt quod electio facta a multitudine patrum firmaretur, Sy vera bulla Sacri Concilii tamquam Synodale decretum, & quod traderetur executioni non eo modo quo ipsi, sed in ea forma qua Sacrum Concilium prius ordinaverat, manifestum est igitur quod dicta clausula nullo modo illis de minori parte suffragatur, quia quantum ad hoc opus, quod erat indivisibile, non poterat esse commune Sacro Concilio & ipsis, quamdiu erat in intentione contraria eisdem; alioquin inanis & delusorius erat eorum

consensus, quo voluerunt dictos dominos habere plenam potestatem super bullatione dictarum litterarum & destinatione earum, attenta maxime clausula quae immediate ponitur in dicta cedula commissionis Synodalis. Quum enim dicitur ita: *quod per hoc quod isti domini facient, nullum praeiudicium alicui generetur*; immediate subiungitur: *& per hoc sit pax & tranquillitas inter patres de Concilio, cessentque omnes agitationes & molestationes & cum bona pace & tranquillitate procedatur ad alia negotia in hoc Sacro Concilio pertractanda; & ista ultima clausula sit ita firma quod non possit violari vel immutari.*

Ex ista clausula evidentissime patet, quod de intentione Sacri Concilii fuit ut per bullationem & destinationem praedictarum litterarum, super quibus dabatur plena potestas ipsis dominis deputatis, cessare deberent omnes agitationes & molestationes super re, de qua primo erat quaestio inter patres de Concilio, ex quo inter eos esset de cetero bona pax & tranquillitas ad negotia Concilii pertractanda.

da. Si autem, non obstantibus praedictis bullatione & destinatione, ipsi legati cum suis adhaerentibus poterant aut debebant prosequi suam partialem conclusionem affirmando eam fore Synodale decretum, & debebant facere executionem eorum quae erant contraria dictae destinationi, manifestum est quod iis stantibus numquam fuisset pax & tranquillitas inter Patres de Concilio, neque cessassent, immo continuae in manus excrescerent agitationes & molestationes, & sic cum bona pace & tranquillitate non procederetur ad negotia in Sacro Concilio pertractanda.

Nec etiam iuvat ipsos adversantes clausula quam dicunt contineri in instructionibus suis, videlicet quod si Galeae ex Nicia cum oratoribus qui erant in Avenione praevenirent eos in Constantinopolim vel concurrerent, quod permitterent eos agere cum graecis, & in nullo eos impedirent; constat namque, ut ipsi dicunt, quod huiusmodi instructiones fuerint sibi datae per legatos tunc Papae, existimantes

tes quod Florentia, quam ipsi nominaverant, deberet parare galeas: sed cum postea ipse olim Eugenius recepta dicta partiali conclusione suorum legatorum paraverit galeas in Venetiis, ipse qui dicebatur facere expensas, dedit instructiones quas voluit, & manifeste patet quod eius intentionis numquam fuit quod Graeci permitterent venire in Avenionem, expresse etiam quantum potuit iam diutius impediverat hanc materiam, ut ipsemet dicit in Bulla suae praetensae secundae dissolutionis, quod illa nominatio loci Avenionensis per Concilium facta nullo pacto fuit sibi admittenda, & quod nisi auctore Domino obviasset illi, actum erat de pace Ecclesiae & de illa optatissima unione.

Sic igitur licet dicant se habuisse instructiones ex parte dictorum legatorum, nihilominus quia constat de contraria intentione ipsius olim Eugenii, qui erat auctor principalis, dicta clausula instructionis non multum pertinet ad propositum, sed potius quae dicta sunt stant in suo vigore,

vi-

videlicet quod praedicti legati cum paucis faventibus suis consenserunt unicum fuisse Synodale decretum, & illud deberet tradi executioni, non autem suam partialem conclusionem.

Praeterea & tertio patet hoc idem ex consensu eorum in generali congregatione die 16. mensis Iunii: cum enim Bulla Sacri Concilii clamdestine fuisset portata ad conclusionem suam particularem de electione Florentiae, Utini &c. expresse consenserunt quod auctoritate Sacri Concilii contra quoscumque falsarios harum, & Bullae Sacri Concilii, praesertim in facto electionis locorum pro futuro oecumenico Concilio, procederetur; & huius commissionis vigore, unus ex dictis Legatis Archiepiscopus Tarentinus, qui in facto dictae plumbationis culpabilis reperiebatur, fuit per commissarios Sacri Concilii in domo sua arrestatus, & duo alii scilicet Bartholomaeus de Batiferris Secretarius alterius legatorum, idest Domini Iuliani Cardinalis S. Sabinae, & alius familiaris eiusdem, nomine Alexander, aufugerunt.

Sed

Sed deinceps ipſe Alexander fuit deprehenſus & longo tempore captivatus, uſquequo Concilium fecit ſibi miſericordiam ad requeſta Bohemorum, & conſenſerunt etiam tunc dicti Legati cum pariter adherentibus ſuis, quod Bulla Sacri Concilii quae primo erat in domo unius ex dictis legatis, videlicet praefati domini Iuliani Cardinalis S. Sabinae, poneretur in loco ſecuro, ut clavigeri & ufficiales ſacri Concilii poſſent bullare libere litteras per ſacrum Concilium decretas & decernendas.

Unde patet manifeſte ſecundum eorum conſenſus & actiones quod auctoritas Synodalis, etiam ad ea quae continebantur expreſſe in ſua partiali concluſione, videlicet de bullando litteras ſuper electione quam appetebant, non erat apud dictos legatos & ſuos faventes, ſed penes maiorem multitudinem patrum, quae eis reſtitit quantum ad dictam concluſionem ſuam partialem, & eius executioni; conſenſerunt namque etiam ipſi praeſidentes cum faventibus ſibi quod illi qui de-

de-

derant operam ut sua partialis conclusio bullaretur, punirentur tamquam falsarii, & item quod de cetero non possent, etiam si vellent, bullare, ex quo bulla auferebatur de manibus eorum.

Quarto hoc idem patet quia, eadem die dicti legati & sui adhaerentes expresse consenserunt quod Commissarii Sacri Concilii haberent plenam potestatem ordinandi & scribendi ad quoscumque Principes, tam Ecclesiasticos quam Seculares, ac communitates in pertinentibus ad eorundem locorum electionem per sacrum Concilium, videlicet Basileae, & Avenionis, & Sabaudiae, ac etiam prohibendi, inhibendi, puniendi quoscumque turbatores, quo nihil clarius dici potest: si namque ipsi consenserunt quod scriberetur pro executione Synodalis decreti, & punirentur quicumque turbatores illius, evidentissimum est quod per huiusmodi consensum evacuatus & annullatus fuit, si quis primo vigor fuerat suae conclusionis partialis de electione Florentiae & Utini.

Et licet praedicta die 17. Iunii

unus

unus ex dictis legatis duxit se concludere praedicta advisamenta Sacri Concilii, salva tamen cedula supradicta Synodalis commissionis, haec additio non potest iuvare ipsos adversarios de dicto praestito consensu, quinimmo iuvat intentum; nam per hoc quod dabatur potestas puniendi & inhibendi turbatores executionis dicti Synodalis decreti, per haec firmabatur pax & securitas inter patres de Concilio, quum enim permittebatur quod fierent contrariae executiones pax & tranquillitas servari non poterat.

Item in sessione vigesima septima Concilii bullatio facta per tres dominos fuit repetita tamquam valida & ex ordinatione concordi totius Concilii, nemine penitus in adversum reclamante, & quia ad notitiam Concilii pervenerat quasdam alias litteras continentes nominationem Florentiae & Utini fuisse falso bullatas, decrevit & declaravit Sancta Synodus omnes litteras continentes nominationem quorumcumque locorum pro oecumenico Concilio celebrando, praeter loca Basileae, Avenio-

nionis & Sabaudiae fuiſſe falſo bullatas: & ita patet quod non reclamantibus illis de minori parte, immo conſentientibus, reputabatur ſolum decretum concluſum a duplo maiori parte eſſe vere bullatum, & per conſequens eſſe verum decretum Concilii, cum quo aliud ſibi contrarium nullo modo ſtare poterat in veritate, ſed erat per hoc omnino evacuatum, ſi quam a principio apparentiam habuiſſet.

Quarto ordine probatur principale intentum ex iis quae facta ſunt per ipſum olim Eugenium: etenim cum anno praedicto die decima octava Septembris ipſe olim Eugenius duxerit ſe transferre Concilium Baſileenſe, declarabat ex tunc translatum fuiſſe ſi contra eum vel aliquem Cardinalium, aut ſuorum praeſidentium per Concilium procederetur ex tenore dictae translationis, evidenter monſtratur quod ſicut per ipſum evacuatus & annullatus ſi quis fuit vigor dictae partialis concluſionis, quam ſui legati ſub nomine ſanctae Synodi ſe dixerunt feciſſe.

Primo

Primo illi dixerunt quod eligeretur Florentia aut Utinum, vel quicumque alius locus qui citius pararet galeas & alia necessaria, & cum Florentià iam incoepisset parare galeas, ipse olim Eugenius contra ordinationem suorum Legatorum & aliorum sibi faventium, & absque eorum consensu nominavit locum alium, qui per illos fuerat specifice nominatus.

Secundo quia posset fortassis obici quod hoc fecerit secundum intentionem dictorum legatorum, animadvertenti dictam partialem conclusionem patet contrarium: illi enim dixerunt se eligere velle Florentiam aut Utinum, pro quibus putabunt habere certitudinem de securitatibus & aliis necessariis, de alio vero loco quocumque in decreto comprehenso si nominari deberet, oportebat concurrere primo tria, videlicet quod esset locus tutus, & citius pararet galeas quam illa duo, atque item quod primo haberentur securitates necessariae; non enim de intentione illorum fuit se obligare personaliter, nec ad quemcumque locum

cum

cum Graeci venire vellent : ſi namque tyrannus aliquis conduxiſſet eos in aliquem locum Calabriae, ubi non eſset tutum eos accedre, non erat de intentione ipſorum quod talis locus reputaretur idoneus pro oecumenico Concilio, oportebat enim ſecundum intentionem ipſorum conſtare primo de tribus, videlicet quod ille locus eſset tutus, & quod prius quam illa duo, quae ipſi nominaverant paraverant galeas, & quod dediſſet ſecuritates & alia neceſſaria : unde poſtquam olim Eugenius nominavit pro Concilio oecumenico Ferrariam abſque praedictorum conſenſu, & abſque hoc quod primo eis conſtarent dicta tria in iis concurrere : primus ex dictis legatis numquam illuc voluit accedere, nec de aliis qui dictis legatis aſſentiebant acceſſerunt tamquam ad Concilium oecumenicum, niſi dumtaxat quinque aut ſex Italici, & de aliis nationibus pauci vel nullus & adhuc illi quinque aut ſex receſſerant de Concilio ante adventum Imperatoris Graecorum ad portum Venetiarum, & poſt eius ad-

ventum in illum portum, nullus penitus de Concilio transtulit se Ferrariam, & sic respectu loci Ferrariae nullam prorsus executionem habuit quaecumque translatio Concilii nec per illos de maiori parte nec per alios, nam etiam contra conclusa per utrosque fecerat olim Eugenius praefatam nominationem Ferrariae, unde etiam manifeste patet per ipsum olim Eugenium fuisse evacuatum omnino si quis vigor illius conclusionis fuisset partialis.

Quarto ipse olim Eugenius annullavit vigorem dictae partialis conclusionis. Cum enim ipsa expresse caveretur quod sacrum Basileense Concilium deberet stare firmiter in Basilea usque ad adventum Graecorum in ultimum Portum latinum per Oratores Concilii eis nominandum, ipse olim Eugenius hoc expresse reiecit & dixit ex illa praefata die decima octava Septembris se statuisse Concilium transferre tum cum procederetur, & fieret aliqua novitas contra ipsum aut aliquem suorum Prae-
siden-

ſidentium; & ſic ſecundum eum fuit translatum quaſi per quinque menſes ante adventum Graecorum, derogans dictae partiali concluſioni ſuorum Legatorum; ſic enim dixit non ſine dictae Bullae diſſolutionis ordinationibus, conſtitutionibus, ſtatutis, decretis, declarationibus etiam nomine Generalis Concilii factis, & aliis in contrarium facientibus, etiamſi talia forent de quibus eſſet habenda de verbo ad verbum mentio ſpecialis; quibus omnibus apoſtolica auctoritate, & de plenitudine Poteſtatis derogamus, ac derogatum eſſe apoſtolica auctoritate tenore praeſentium declaramus, ceteriſque in contrarium quomodolibet facientibus, nonoſtantibus quibuſcumque.

Et haec derogatio hoc effecit quod quaſi omnes Patres in Concilio, qui primo aſſenſerunt cum dictis Legatis, videntes quod ſua partialis concluſio in totum evacuata fuiſſet, ex tunc tenuerunt ſe cum Synodali decreto firmiter aſſerentes, Baſileae & non Ferrariae eſſe Synodum Generalem, nec unquam translatam inibi fuiſſe

etiam

etiam in adventu Graecorum, & quod amplius eſt, ex eo quod ipſe olim Eugenius praedictam nominationem loci Ferrarienſis fecerat, factum fuit decretum in Vigeſima nona ſeſſione Concilii, duodecima die Octobris, nullo penitus reclamante ex illis qui praedictae partiali Concluſioni aſſenſerant, in quo Decreto repetitur iterum electio de Baſilea, Avenione & Sabaudia tamquam facta per Sanctam Synodum, & dicitur ibidem quod conſtat eam plene ſatisfacere Decreto cum Graecis edito; & inſuper dicta Synodus in eodem Decreto omnem nominationem, electionem, & aſſumptionem loci Ferrarienſis, tamquam decretis ipſius Synodi repugnantem, ſicut de facto proceſſit, caſſat & irritat, immo verius, caſſam & irritam declarat.

Tertio ipſe olim Eugenius etiam evacuavit & annullavit dictam partialem Concluſionem quoniam in dicta Bulla praetenſae diſſolutionis continetur haec clauſula: Decernentes atque etiam declarantes omnem aliam declarationem, electionem, vel translatio-

tionem quavis auctoritate aut quocumque praetextu factam, vel etiam imposterum fiendam, praeterquam auctoritate nostra, de qua constet per autenticas litteras nostras super hac conficiendas, nullius esse, prout est, roboris vel momenti „. Ex hac clausula manifeste constat quod ipse olim Eugenius refutavit, & nullam esse voluit, casu quo procederetur contra ipsum, aut aliquem suorum praesidentium &c. nominationem, sive electionem Florentiae & Utini, & civitatum aliarum Italiae factam in Concilio, si qua ibidem facta fuit per suos legatos & alios paucos in Concilio; non enim sub nomine & auctoritate Eugenii, sed sub nomine S. Synodi generalis Basileensis dixerunt se illam facere, sicut praetensa ipsorum decretatio ostendit; unde secundum talem decretationem & declarationem per ipsum olim Eugenium factam, videtur cessasse ex dicta die decima octava Septembris, aut saltem prima Octobris in qua fuit declarata eius contumacia, omnis vigor & auctoritas illius partialis conclusionis quae

ab aliquibus dicitur parvum decretum: & cui adverſantes Sacro Baſileenſi Concilio innituntur, dicentes quod vigore illius partialis concluſionis diſſolvit ſe ipſum proprio conſenſu in adventu Graecorum, qui tamen non venerunt ante octavam Februarii anni trigeſimi ſeptimi.

Item in praedicta praetenſa translatione poſtquam dixerat ſe transferre Concilium ex tunc pro tunc, expreſſe etiam oppoſuit quod volebat praedictam translationem habere locum etiam ante adventum Graecorum, & adiecit decretum irritans, dicens haec verba: „ Decernentes irritum & inane, & nullius roboris vel momenti ſi ſecus fiet quavis auctoritate, etiam ſub nomine & auctoritate Concilii, praeterquam noſtra, de qua per litteras, ut praemittitur, conficiendas conſtet, a quibusvis communiter vel diviſim contigerit attemptari „. Ex quibus patet quod in hac praetenſa translatione recitavit decretum praetenſum partialis concluſionis praedictae factum a minori parte, quod habebat, ut Concilium firmiter maneret in Baſilea

ſilea per totum tempus comprehenſum in decreto concordato cum Graecis, quod etiam per ipſum olim Eugenium fuerat expreſſe approbatum.

Haec autem evacuatio facta per olim Eugenium de dicta partiali concluſione etiam expreſſius deducitur ex declaratione, quam dixit ſe facere de translatione Baſileenſis Concilii in locum Ferrariae ſub data in Kalendis Ianuarii Pontificatus anno ſeptimo; dixit enim ſic: „Nos autem tam in imminentibus &c. conditiones in dictis litteris noſtris contentas fuiſſe & eſſe purificatas, dictumque Baſileenſe Concilium fuiſſe & eſſe translatum ad praefatam civitatem Ferriarensem declaravimus, illudque auctoritate, conſilio, & aſſenſu praedicto in dicta civitate Ferrariae celebrandum, ac die octava, ſcilicet vigeſima quarta menſis Ianuarii inchoandum & continuandum decernimus auctoritate apoſtolica, per praeſentes mandantes omnibus & ſingulis qui ad generalia Concilia venire tenentur & conſueverunt, ut ad ipſum Concilium ſic translatum, vigore iura-

menti per eos praestiti, quantocius se transferre procurent „.

Ecce expressum testimonium ipsius olim Eugenii quod die trigesima Ianuarii iam secundum eum non erat Basileae Generale Concilium: constat autem quod pro tunc nondum applicuerant Graeci ad Portum Latinum; & sic secundum hoc, post adventum Graecorum infra mensem, Concilium Basileense; quod secundum eum iam non erat, non poterat nec debebat se transferre ad locum in quem consentirent Graeci pro celebratione oecumenici Concilii. Si vero dicatur quod licet secundum intentionem ipsius olim Eugenii Concilium non esset Basileae, quia iam erat translatum Ferrariam, & tamen in rei veritate Concilium Basileense, non obstante sua praetensa translatione, manebat adhuc Basileae firmum & stabile, tunc ergo necesse est confiteri iuxa decretum: *sicut unica* octavae sessionis, quod cum durante Concilio, alia congregatio sub nomine generalis Concilii non posset erigi Ferrariae, non esse generale Concilium

cilium, ſed conventiculum Schiſmaticorum: cumque ipſe olim Eugenius fuerit principalis auctor dictae congregationis, conſequenter fateri oportebit quod ipſe erat Schiſmaticus, & ab Eccleſiae unitate diviſus.

Ex quo ſequitur quod etiamſi vigorem aliquem habuiſſet dicta partialis concluſio, Concilium non tenebatur ſe transferre in Ferrariam infra menſem poſt adventum Graecorum, quia illa Congregatio, ut dictum eſt, non erat generale Concilium, ſed conventiculum Schiſmaticorum, & ipſo durante in Schiſmate non poterat ibidem Synodus oecumenica celebrari. Non enim ipſe olim Eugenius, & ſui qui aſſerebant dictam Ferrarienſem Congregationem eſſe oecumenicam Synodum, & dixerant ſe declarare Sanctam Synodum Baſileenſem a die praedictae translationis praetenſae non eſſe potuerat Concilium, immo fuiſſe & eſſe illegitimam & reprobam tumulationem, & conventiculum, admiſiſſent huiuſmodi translationem Sacri Baſileenſis Concili tamquam debitam fieri in Graecorum

rum adventu pro unione ipſorum, & ſic non poteſt aſſeri quod Sacrum Baſileenſe Concilium tenebatur ſe transferre in Ferrariam poſt adventum Graecorum, nec quod poſtea fuit translatum ex priori ſuo dato conſenſu.

Accedit huic rationi aliud quod non minorem evidentiam facit; nam ſi uſque ad adventum Graecorum, firmum ac ſtabile manebat Sacrum Baſileenſe Concilium, ſicut ſecundum rei veritatem manebat, & etiam ſecundum decretum concordatum cum Graecis, ac expreſſe approbatum per ipſum olim Eugenium, & iterum ſecundum illam partialem concluſionem praeſidentium & paucorum ſibi faventium, & approbationem eiuſdem factam Bononiae per ipſum olim Eugenium, cum inter decreta Synodalia eiuſdem Concilii dictus olim Eugenius vigeſima die Ianuarii fuerit per Sacram Synodum legitime declaratus ſuſpenſus ab adminiſtratione Papatus ante ipſorum Graecorum adventum, clarum eſt quod ipſo gerente ſe pro praeſidente dictae Congregationis Ferrarienſis, Sacrum Baſileenſe Concilium non tenebatur transferre

ferre se in dictum locum, etiam in causa adventus Graecorum; non enim Ferraria erat locus sibi tutus & idoneus ad unionem Graecorum, cum iam congregatio inibi existens esset conciliabolum Schismaticorum, & praesideret in eo qui ipsum Sacrum Concilium persequebatur, suspensus ab administratione Papali.

Concludendo igitur super praemissis licet sit summarie intelligere: si Sacrum Concilium Basileense hactenus fuit legitime dissolutum, sive desiit esse, aut hoc est quia tenebatur se transferre ad locum Ferrariae in adventu Graecorum vigore partialis conclusionis, aut praetensae translationis per ipsum olim Eugenium factae de plenitudine potestatis, ut dicitur: hoc autem secundum stare non potest: cum enim dicta praetensa translatio notorie fuerit nulla iuxta formam decretorum Constatiensis ac etiam Basileensis Concilii, quae ipsemet approbavit esse facta a vero & legitimo Concilio inchoato, & continuato, ut patet in eius adhaesione, nullatenus tenebatur Concilium

cilium ſe transferre, niſi vellet ſua decreta cum tanto edita labore, nec non Eccleſiae ac generalium Conciliorum auctoritatem quaſi in totum deſtitui ac proſterni, attento maxime quod ſi Sancta Synodus hoc feciſſet, poneret ſe ad manus & ſub poteſtate illius, qui quantum in eo fuit interdixit, ſuſpendit, excomunicavit, privavit omnes & ſingulos Patres Sanctae Synodi quibuscumque beneficiis & dignitatibus ſuis, inhabilitavitque eos ut in futurum habere non poſſent, deinceps quoque prohibuit eis praebere victualia, & mandavit fieri adverſus eos perſecutionem, quantum contra hoſtes fidei Chriſtianae, eratque notorie diffamatus quod non ſervaret iuramenta & promiſſiones quae praeſtiterat ſolemniter ante ſuam electionem & poſtea immediate, & quae per Bullam ſuam confirmaverat poſt coronationem, & ſic ad perpetuam rei memoriam ſe debere ſervare publicavit, impugnabatque notorie veritatem fidei quam declaravit Sacrum Conſtantienſe Concilium, & reformationem Synodalem ſuper qua

iam

iam diutius laboraverat S. Basileensis Synodus, fueratque citatus ad eamdem Synodum purgaturus se de criminibus de quibus fuerat notorie diffamatus, & si mutaverat se Synodus in Ferrariam, praetextu illius praetensae translationis, submittebat se ac perdebat quasi in totum auctoritatem generalium Conciliorum, quia generale Concilium de iudice fiebat reus, multaque alia pericula occurrebant, de quibus non est dicendum per singula.

Hic autem non est praetereundum utrum in dicta congregatione Ferrariensi esset libertas requisita ad celebrationem generalis Concilii, vel potius existens sub coactiva iurisdictione ipsius olim Eugenii, negotia ibidem agebantur pro suo libito voluntatis, aut saltem eo resistente, seu non concurrente nihil atduum poterat concludi. Itaque nullus diligenter advertens circumstantias rerum dicere potest sacrum Basileense Concilium debere se transferre in Ferrariam occasione dictae praetensae, nullae & irritae translationis. Simili modo ad hoc non tenebatur ex alio membro

bro

bro ſupra condiviſo, ſcilicet occaſione dictae partialis concluſionis, quia illa vel nullius fuit vigoris, aut ſi quis in ea fuit vigor, ille fuit multipliciter evacuatus, & ab ea multipliciter receſſum eſt tam per conditores eius, quam per ipſum olim Eugenium, multo tempore ante adventum Graecorum.

Unde praemiſſis omnibus conſideratis Sacrum Baſileenſe Concilium non tenebatur de iure, aut rationis aequitate, vel neceſſitate, ſeu ex quavis obligatione ſe transferre in Ferrariam in adventu Graecorum, immo potius, ne permitteret perire auctoritatem Eccleſiae & generalium Conciliorum, tenebatur ſe non transferre.

Notorium eſt autem notorietate facti permanentis quod numquam ſe tranſtulit, ſed potius reſtitit dictae translationi per ipſum olim Eugenium attemptatae: manſerunt in ipſo Concilio etiam poſt erectionem praefatae congregationis Ferrarienſis, & adventum Graecorum ad eam, longo tempore ambaſſiadores Regum Romanorum, Francorum, Caſtellae, Arragonum,

alii-

aliique Praelati, Cardinales, Archiepiscopi, Ambassiadores Universitatum, & usque in hodiernam diem ipsum tamquam verum & legitimum Concilium Universalis Ecclesiae maior pars Christianitatis recognovit, & Domini Reges Romanorum Albertus inclytae memoriae, & Fridericus modernus, longe post erectionem praefatae Congregationis Ferrariensis dederunt suos salvos conductos Sacro Concilio Basileensi, & Dominus Rex Francorum fecit publice proclamari in regno suo ne quis iret ad congregationem Ferrariensem, tamquam ad Concilium generale. Licet igitur evidentissime concludere quod Sacrum Basileense Concilium, non obstante praedicta praetensa translatione per ipsum olim Eugenium secundo attemptata, item non obstante adventu Graecorum, usque hodie nec proprio suo consensu, nec alio modo fuit translatum, aut dissolutum, quin immo permanet stabile; nec enim recessus quorumcumque, cuiuscumque dignitatis, potest arguere dissolutionem ipsius esse factam, sicut patet ex declaratione fa-

cta

cta in Concilio Constantiensi de recessu Ioannis Papae & aliorum quorumcumque, ac etiam ex decreto ipsius Concilii Basileensis, quod omnes quasi principes maiores orbis, & praelati, aut oratores eorum nomine incorporati manutenere & defendere iuraverunt.

Ex quibus evidenter apparet, ea quae facta sunt pro reformatione Ecclesiae, & Fidei Catholicae confirmatione, in suspensione ac depositione olim Eugenii, & consequenter in electione Sanctissimi Domini Felicis Papae quinti, esse facta per verum ac legitimum Concilium generale, Universalis Ecclesiae habentis potestatem immediate a Christo, cui quilibet Christianus in iis obedire tenetur. Causae quoque huiusmodi suspensionis & depositionis manifestae sunt, nec aliquis dicere potest eas veras non esse.

Ultra praedicta apparet, quomodo ipse olim Eugenius qui numquam voluit revocare ea quae fecerat, & asseruerat in praetensa secunda translatione Concilii per eum attemptata contra veritatem Fidei declaratam in Concilio

cilio Constantiensi de auctoritate Conciliorum, licet fuerit monitus super hoc in decreto XXIV. sessionis, & iterum in decreto suspensionis, magis & magis perseverat in impugnando ipsam veritatem Fidei pertinaciter, quod sine haeresi esse non potest; qui in litteris incipientibus: *Moyses vir Dei*, datis Florentiae pridie nonas Septembris Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo trigesimo nono, condemnavit illam veritatem & alias duas ex ea necessario consequentes; Ambassiadores proponentes nomine suo in diversis locis manifestant quomodo in impugnatione huiusmodi veritatum Fidei, & doctrinae Ecclesiae de auctoritate Conciliorum, ipse magis & magis redditur obduratus, & notorie in haeresi permanet, propter quod ab omnibus fidelibus est evitandus, & nullatenus est ei obediendum, nec a Christianitate tolerari potest illud quod ipse in iis praetendit, quod videlicet maneat in possessione dissolvendi Concilia generalia contra consensum ipsorum, quodque deinceps Summi Pontifici per ipsa

Con-

Concilia nullatenus corrigi possint, nec ad aliquam reformationem perduci, ac etiam quod Ecclesiae imponatur error, quae tam solemniter veritatem ipsam de auctoritate Conciliorum data immediate a Christo, quod est obiectum fidei, declaravit tam in Concilio Constantiensi quam Basileensi, etiam iis temporibus in quibus expresse approbata fuerunt tamquam legitima Concilia per Summos Pontifices & Sedem Apostolicam, videlicet Constantiense per felicis recordationis Papam Martinum, & Basileense per ipsum olim Eugenium; unde quum tuum violaretur ille Articulus *Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam*, quantus ingressus ad haereses & sectas erroneas introduceretur, si haec permitterentur, nemo est qui non facile videre possit. Omnes quoque Christiani attendere debent quanta eis necessitas imminebat, ut totis viribus ipsi Fidei Catholicae, atque saluti universae Ecclesiae succurrere debeant, & iustitiam ipsius Sacri Concilii Basileensis, cum fere omnes Principes & Praelati Orbis incorporati & iurati sint in effectu prosequi

ſequi & amplecti, nec praetextu cuiuslibet iuramenti, aut promiſſionis cuicumque factae, aut proteſtationis poteſt aliquis ab hoc excuſari, cum nullum iuramentum factum cuicumque, etiam Summo Pontifici, aliquem eximat vel excuſet ab obedientia Sacro generali Concilio praeſtanda in iis quae pertinent ad Fidem, extirpationem Schiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiae in Capite & in membris, in quibus etiam ipſe Papa tenetur obedire Concilio, quae quidem ex ſupradictis manifeſte nota ſunt.

FINIS.

9591

FONTANI
NOVAE
ERUDITORUM
DELICIAE
TOM. [illegible]